PARÆNESIS
AD HÆRETICOS,
ET ALIOS
ECCLESIÆ HOSTES, ET MASTIGES.

AVCTORE
IOANNE A CHOKIER
Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonico, Ser.mi Episcopi Principis Leodiensis Vicario in Spiritualibus Generali, eiusdemque Consiliario.

Contra omnium hostes pro salute communi vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi. *S. Leo Papa, Serm. 5. de Ieiun. 10. Mens.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINKIVM Sub signo Monocerotis.

M. DC. XXXIIII.

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

DEI GRATIA ELECTO ET confirmato Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Rom. Imperi per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Episcopo & Principi Leodiensi, Paderbornensi, & Monasteriensi, Administratori Hildesimensi, Berthesgadensi,& Stabulensi, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bulloniæ Duci, Marchioni Francimontensi, Comiti Lossensi, Longiensi, Hornensi,&c.

CVM in Ditione vestrâ Leodiensi animaduerterem AVITÆ RELIGIONIS *hostes non solùm incautā plebeculam sinistris doctrinis, aclibellis conari peruertere, verumetiam magnis iuxta ac paruis, præsertim Ecclesiasticis insultare; Religiosos verò lacessere, pestiferas suas doctrinas illis imputare, nobis etiam famosis scriptis detrahere; imò confictis falsisq; mandatis (scelus profectò adusque hâc in Vrbe vestra, ne dicam Orbe, inauditum) Celsitudini Vestræ Ser.mæ sic illudere, hanc mihi (licet magna negociorum mole grauato) necessitatem imponendam duxi, vt sub acumen calami illa cōmitterem, quibus veluti repagulo, progressum pestiferæ*

 hære-

hæreticorũ doctrinæ, ac malitiæ, non ſolum impedirem, ſed etiam iniurias inclyto veſtro Nomini illatas depellerem, meque etiam ab illorum contumelia & iniuria vindicarem. Neque tamen ita mei plenus ſum, vt hanc mihi ſumam gloriam atque prouinciam, quaſi ego alijs in illo ſcribendi genere verſatiſsimis facultatem paria componẽdi præripere voluerim, ſed ſummam cœpi lætitiam, quod vicinorum Miniſtrorum, & Orthodoxæ Fidei hoſtium, refellendis calumnijs, mendacijs, atque dolis pluſquam Sathanicis, iuſsibus veſtris obtemperauerim. Nihilominus, ſirmandis in eadem Orthodoxa Fide rudioribus, obiter & velut per tranſennam ſtatim in ipſo opuſculi limine, quæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ Notæ eſſent, quæ verò hæreticorum, ſtudioſè, pro virili aperui. Nam vt Papa Hormiſda ante mille & quod excurrit annos præclarè inquiebat: Ipſe impellit in errorem, qui non inſtruit ignorantem, nec quidquam aptius eſt ſtudioſo Religionis, quam inquiſitio veritatis. *Qui igitur ſcirem varios libellos hæreticâ prauitate plenos ab vno atque altero vicino Sectario per Diœceſim veſtram ſpargi, paſſimq́; diſſeminari, eorumq́; lectione fortaſsis nonneminem*

neminem in tanta Catholicorum multitudine, cui quotidiè benedicit Deus, periclitari, aut nutare posse, non cunctandũ ratus sum, quin vestris mandatis obsecundarem, & pro officij mei debito obtectas in illis fraudes, & dolos detegerem; nedum callidas & malitiosas iniurias in Cel.nem vestram Ser.mam & primæ notæ Ciuitatis suæ Religiosos refellerem. Spero autem non ingratum fore Serenitati Vestræ opus istud, tametsi minimum & quartum sub auspicijs vestris editum, quod vt suâ auctoritate aduersus sectariorum, aliorumq́; virulẽtas linguas tueatur, meum quidẽ votum est: sed & istud comprimis vt Cel.nem Vestram Ser.mam quamdiu lex humanæ naturæ feret, nobis florentem atque incolumen cum tota sua inclyta Bauarica familia Deus Opt. Max. conseruet, atque aduersus hostes suos victorem præstet, tandemq́; æuiternam fœlicitatem ipsi repræsentet. Datum in Ciuitate vestra Leodiensi 28. Augusti 1634.

Celtitudinis Vestræ Ser.mæ

Humillimus ac deuotissimus IOANNES A CHOKIER
Canonicus Leodien. & Vicarius vester.

LECTORI BENEVOLO.

HAbes, Lector, Paraenesim ad hęreticos, aliosque non haereticos, sed Ecclesiae Mastiges, breui hoc scripto, & breui temporis spatio, inter decumanos negociorum fluctus delineatam: in quâ scopum quidem meum fuisse comperies, obiter in gratiam rudiorum asserere Vnitatem in Ecclesiâ Catholicâ Romanâ, quam Notam in haereticorum sectis negamus reperiri. Hanc autem fidei Vnitatem, vt omni studio conatuque Principes tueantur, neve permittant vspiam detrimentum pati, eosdem in hâc temporum ac diuersarum sectarum iniuriâ, fas mihi fuit incitare. Dein, Sectariorum conuitijs, fraudibus, atque calumnijs censui respondendum, semotis pestiferis dogmatibus, fraudulenter per eos diuersis libellis nuper insertis: cum illa abundè & plenâ manu refutata sint per Reuerendũ in Christo P. Matthiam Hauseur PP. Recollectorum Conuentus Leodiensis meritissimum Guardianum, atque quotidie refellantur per Reuerendum quoque in Christo Patrem Antonium de là Beeck, Societatis Iesu facundissimum iuxta ac eruditissimum Ecclesiasten, aliosque verbi Dei praecones sanctioris itidem & doctioris notae religiosos. Quòd autem in decursu operis, acriter perstrinxerim quendam petulantissimum Samuelem des Marets, & alium eiusdem farinae Sectarium, non est quod quisquam offendatur, praesertim qui cõsiderabit me non eo consilio id fecisse, *vt efficerer ipsi conuitiando superior*, vt in simili loquitur S. Augustinus, *sed essem Auditori Lectorive consulens salubrior*: simulq; refutarem ea, per *quae verbis malignis garriens in nos* (vt cum S. Ioanne loquar) famam nostram depeculari conatur: memor *Apostolici praecepti & exempli, quo docemur habere rationem non conscientiae tantum, sed etiam*

Cont. Petil. cap. 1.

Epist. 3.

famae

famæ, vt totidem verbis inquit sanctus Hieronymus. *Epist. ad Celant.* Cæterùm, non illubens passus sum Opusculo huic nostro *Virgidemiam* ex Vireto, siue Monachomachia eiusdem Samuelis Maresij, ab Arsenio Honorio collectam, subijci, quòd in eâ non solùm putidæ illius fallaciæ & calumniæ detegantur, sed etiam blasphemiæ Orco dignæ κατὰ κεφάλαιον refutentur, earumque auctor suis propijs coloribus depingatur. Ostensum quoque non solùm eosdem Nouatores omnes, sed etiã quotquot Ecclesiam Catholicam infestarunt, bona occuparunt, Iurisdictionem, libertatem, aliaque illius iura violarunt, vsurparuntque, pessimè turpiterque perijsse: quod ipsum, & documentis, & exemplis probaui; petitis quidem ab antiquis & fide dignis auctoribus, quorum simplici & rudi stylo (quidni enim? cum *veritatis*, iuxta Euripidem, *simplex debeat esse oratio*) vsus sum, ne fortè etiam alicui seuero Aristarcho, quid à me contra historiæ fidem & veritatem depromptum, aut infertum videretur. Sed nec quispiam offendetur, quòd in theatrum Ecclesiæ Mastigum, Christianos & Catholicos Principes produxerim. Si enim Deus ipse, qui *facit Anglos suos spiritus & ministros suos ignem vrentem*, tamen *in Angelis suis reperit prauitatem*, quotusquisque mirabitur, si in tot Principibus Orthodoxis, lutea vasa etiam portantibus, pauculi numero parum erga Matrem Ecclesiam affecti reperiantur? Neque adhuc mens mihi fuit illos in medium proferre, quasi eadem cum Hæreticis scena dignos, sed vt boni, pij, Catholici Principes, ac Magnates, nonnullorum infœlicissimo exitu perculsi, à similibus ausis deterreantur, nec porrò Ecclesiã Christi temerario conatu persequantur. Ac illud denique mihi contestandum, priuilegia nonnulla Ecclesiæ Leodiensi à Summis Pontificibus concessa, produxisse me eo cõsilio, vt alijs constaret *Ps. 103.* *Iob. 4.*

quam

quam ipsa de Sancta Sede benè merita fuerit, vt pote tantis priuilegijs & honoribus cumulata, vt nulla similibus iam inde à temporibus Apostolorum vsa aut donata fuerit. Postremò, ipsa veritatis assertio, calumniarumque Episcopo Principi meo iniectarum per sectarios vicinos depulsio, ad hanc lucubratiunculam me maximè exacuerunt. Tametsi enim satis ex se patescat calumnia & iniuria, meritis alioqui exemplis castiganda (quis enim in dubium reuocet fidem & Religionem tanti Principis, qui vel ipso symbolo suo, nempe AVITA FIDE, Religionem Catholicam Romanam præ se fert, imò pro ea quotidie acerrimè pugnat?) silentio tamen nequaquam prætereundas existimaui: siquidem vt Comicus Græcus inquit:

Οὐ δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν, οὐδ' ἂν σφόδρ' ἦ
Ψευδής. ἐπίςατ' αὔξανειν αὐτὴν τινες
Αἱ οὓς φυλάττεσθαι τά τι αὐτ' ὀρθῶς ἔχει.

Spernenda non est vel minima calumnia:
Nam plurimi artem illius augenda tenent:
Quos propter illam qui cauet, rectè facit.

In quo finio, teque valere, & hæc boni consulere opto.

INDEX CAPITVM.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

b Bauariæ

CAP.

CAP. XIX.

Imperio etiam Orientis non defuere Ecclesiæ Mastiges.

CAP. XX.

Alia vindictę diuinę exempla in Francorum Regibus.

CAP. XXI.

Aquitanię nobilitas Ecclesię iniuriosa, vt & ipse Dux, Comes etiam Robertus Flandrię, Ecclesię suę iniurius, vt & Henricus II. Anglorum Rex, ac tandem Joannes Dux Brabantię, qui pœnitentia ducti ad sanam mentem redierunt.

CAP. XXII.

Germania non exsors iniuriarum in Ecclesiasticos, vt nec Hispania: Auctores illarum vindicta coërcuit diuina.

CAP. XXIII.

Consimilia præcedentibus exempla in Italia, & Anglia.

CAP. XXIV.

Digressio ad Leodienses, narratur historia triumphi S. Lamberti Episcopi Leodiensium, Excidium item Ciuitatis, priuilegium Ecclesię Leodiensis excommunicandi vsurpantes ipsius bona.

CAP. XXV.

Gratia concessa Illustrissimo Capitulo Leodiens. per Vrbanum Papam IV. quod in malefactores & occupatores bonorum Ecclesiasticorum possit sententias excommunicationis promulgare, donec eis debitè satisfecerint.

CAP. XXVI.

Nonnullorum Anonimorum Ecclesiæ Mastigum exitus horrẽdi.

CAP. XXVII.

Obiectionibus nonnullorum politicorum respondetur.

CAP. XXVIII.

Soluitur obiectio secunda, videlicet cõsuetudine depopulationes, & concussiones militum permitti, aut tolerari posse: hæc erronea & impia ostenditur.

FINIS.

IN REVERENDISSIMI

AMPLISSIMIQVE DOMINI

D. IOANNIS A CHOKIER

Canonici Leodiensis, Protonotarij Apostolici, S.mi Principis Electoris generalis in Spiritualibus Vicarij & Consiliarij, &c.

ERupta pridem Battauis (quo nescio
Fato) lacunis Hydra, (Lector Hæresim
Interpretare) irrepserat confinia
Carecta nostri Mosæ, & illinc faucium
Barathro mephitim egurgitabat; saltibus
Non qualem ab Afris aspidum rex euomit
Basiliscus, aut Niloticâ ex vligine
Crocodilus atrox spumat, aut paludibus
Funesto lernæis Echidna sibilat:
Ast qualem Auernis è cauernis triplici
Rictu tremendus perpetim ructat Canis,
Heu! accolis nimis nociuam Eburonibus
Afflabat, atque pestilenti fascino
Perdebat animas quotdiebus plurimas.
Aduertit hoc prudentiæ instinctu suæ
Speculator acer, & sagax CHOKIERIVS
Experte somni palpebrâ, & quantocyus)
(Quoniam venenatis nocent induciæ,
Ex myrothecio eruditi pectoris
Vt verus Auerruncus, apto tempore
Concinuat amuleta, alexi-que-pharmaca. Hæc
Ne spuma Ditis, viperinus hic vapor,

Exulcerat

Exulcerati hoc carcinoma seculi
Ouium per artus latius grassetur. ô
Nunquam satis laudanda cura ! ô vigiliæ
Perutiles ! ô digna cedro scriptio !
Huc ergò propera, si quis aut sanus times
Lædi pecoris antermini contagio, aut
Iam fortè potum expectorare toxicum
Aues, & hoc ψυχῆς ἰατρεῖον, tibi
Quod πραγματικὸς ἀνὴρ, suæ gentis decus,
Sol flaminalis LEGIÆ CHOKIERIVS
Tam fabrè adornauit, frequenter consule;
Seu pharmacis, seu oblectat antidotis frui:
Vber etenim vtrorumque messis hîc latet.

Debiti obsequij gratiâ pangebat

F. MELCHIOR DAELHEMIVS
Augustinianus.

APPROBATIONES.

VIdi hunc librum, cui titulus: PARAENESIS AD HAERETICOS, ET ALIOS ECCLESIAE HOSTES ET MASTIGES; cumque publico Ecclesiæ bono, ad hæreticorum, & aliorum auitæ Religioni nostræ insultantium confusionē, publicari posse censui: vt fanatici isti, tantam habentes impositam nubem testium, discant tandem sapere, & intelligere, ac nouissima prouidere. Datum Leodij, in ædibus nostris Claustralibus apud Sanctum Ioannem Euangelistam, hac 28. Augusti 1634.

IOANNES FREDERICVS A CHOKIER,
Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonicus.

PAræneſis, quam aduersus hæreticos Reuerendissimus & Nobilis Dominus Ioannes à Chókier Ecclesiæ Leodien. Canonicus & S.C. Vicarius Generalis, breuiter & elegantissimè deducit, habet veram, Catholicā, solidāque doctrinā, quæ sacræ paginæ, ac Sanctorum Patrum testimonijs, pariter & exemplis, veluti armis potentissimis mirificè instructa, vtiliter, opportunèque hoc præsenti rerum statu, ad efficacem fidei Ortodoxæ nec non immunitatis Ecclesiasticæ defensionem, in lucem meritò prodire potest. Datum in Monasterio Fratrum Cruciferorum Leodij 28. Augusti 1634.

Ita censet F. Henricus Siluius S. T. *Licentiatus in dicto monasterio Prior.*

ATtentè perlustraui Parænesim ad hæreticos &c. Nobilis & Reuerendissimi Domini Ioannis à Chokier Canonici, & Vicarij Generalis Leodiensis, opus probè elaboratum, & authore suo dignum, quo Ecclesiæ vnitas, immunitas, & Nouatorum etiam in Fidei substantia perpetuum dissidium demonstratur; eorundem quoque hæreticorum graues in Clerum & Magnates calumniæ, ac detestanda in Serenissimum Principem nostrum FERDINANDVM aperitur perfidia. Quare, in omnium manibus (hoc potissimum tempore) continuè versari meretur. Ita sentio, hac 28. Augusti 1634.

F. Theodoricus Fizen, *Ordinis Erem: S. Augustini S. T. Doctor, Prouinciæ Belgicæ Diffinitor.*

PARÆNESIS AD HÆRETICOS; ET ALIOS ECCLESIAE HOSTES, ET MASTIGES.

IOHANNIS A CHOKIER CANONICI, ET VICARII GENERALIS LEODIENSIS.

CAP. I.

Religione nihil debere esse firmius & antiquius. Illam esse fundamentum veræ politiæ, vel Ethnicorum sensu. Principes Christianos tueri illam quouis modo debere. Nouatores pellendos & coërcendos esse.



IHIL est in rerum naturâ quod non varietati mutationique, si à Religione discedamus, obnoxium sit. Tempora, ætates, Regna, Respublicæ, stationes suas, sedes, ac periodos & tempus habent; habuerunt olim, & iam variarunt: at Religio perennis est, immutabilis est, variationi non magis quam Deus ipse subiecta: solius Dei Numen naturâ mutationis expers est, tanquam increatum & semper existens. A quo cum Religio ceù à fonte procedat, quis non videat illam veluti immobilem columnam & firmamentum omnis veritatis (vt Apostolus loquitur) æstimandam esse? *1. Tim. 3* imò veluti basim & fundamentum omnium Regnorum suspiciendam? Senatus Romanus supremum totius Orbis

tribunal in sua licet errorum nebulâ hoc præuidit, dum Religionis causam adeò rebus omnibus antetulit vt in omnibus consessibus, de diuinis rebus, priusquam de humanis ad Senatum referret: tum porrò de singulis agendum esse rebus ad Rempublicam spectantibus, vt author est A. Gellius. Præclaram huiusce rei rationem reddidisse videtur Val. Maximus, dum, inquit: *Maiores nostri non dubitauerunt sacris Imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si Diuinæ potentiæ benè atque constanter fuissent famulata.* Ecce, quam isti, Orbis terrarũ Domini, Religionis suæ vel fucatæ & vanissimæ summi assertores fuerint, ciuiliaque & humana omnia præ illa parui pendẽda duxerint. Cæterùm, quantoperè à mutatione Religionis abhorruêre, testis est magnus ille consiliorum *Augusti Cæsaris* Administer *Mæcenas*, dum inter alia fœliciter Reipublicæ gerendæ documẽta ipsi præponebat, illud non in postremis suggessit: *Diuinum Numen semper & vbique ita cole, vt moribus patriæ receptum est, ad eundemque cultum alios coge & compelle: peregrinarum verò Religionum authores odio & supplicijs prosequere, non modò Deûm gratia (quos qui contemnit, haud dubiè nihil quoque aliud magni faciet) sed propterea etiam quod qui noua Numina introducunt, multos ad mutationem rerum impellunt: vnde coniurationes, & conciliabula existunt, res profectò nequaquam Principatui conducibiles.* Præclarè quoque Princeps ille Eloquentiæ Cicero, *An tu*, inquit, *maiores vllas inimicitias putas esse, quam contrarias hominum sententias ac dissimilitudines studiorum & voluntatum? Vbi autem grauior esse potest sententiarum contrarietas, quam in re omnium maxima, hoc est Religione?* Enimverò, si historias veteres, si Annales reuoluamus & ad æuum postremum oculos reflectamus, videbimus non verbera, non flagellationes, non equuleos,

Religionẽ quanti fecerũt Romani.

Lib. 14. cap. 7.

Insignẽ documẽtum Mæcenatis.

Dio. lib. 52.

In fragm. de Rep.

non laminas non tædas, non vngulas, non gladios, non cruces, aliaque priscæ crudelitatis supplicia, Ecclsiæ tantum nocumenti attulisse, quantum offecére nouarum opinionum & Religionum auctores.

Itaque cum innouatio Religionis auitæ, Catholicæ, inquam, quæ semper, quæ vbique, quæ apud omnes, quæ tempore, loco, multitudine, antiquitate, vniuersitate & consensu, nouitati & paucorum exerrantium dissentioni antistat, sit sẽper seditionibus & coniurationibus obnoxia, certè perspicuum est Nouatores dominijs Principum Catholicorum quam-primum arcendos esse. Super quo testor S. Leonem Pontificem Max. qui Anatholium Episcopum Constantinopolitanum acriter repræhendit, quod perniciosâ quadam patientiâ hæreticos toleraret, & admonet, vt à Principe opem poscat ad eosdem comprimendos, verbis his: *Illud sanè plurimum mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuæ clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conniueant prauitati, & vasa iræ, vasis misericordiæ misceantur. Quibus inuestigandis & seueritate congruâ coërcendis, debet diligentia tua vigilanter insistere: ita vt his, quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Oportet enim nos Euangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius sit, his in Ecclesiâ carêre membris, quam cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluò extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in ijs quos decipiunt vulneramur. Abycienda prorsus pestifera hæc à Sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit. Sicut Heli quondam Sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiâ meruit experiri, quia segni indulgentiâ dissimulauit plectere peccatores. Quantum itaque*

Egregia parænesis S. Leonis Pôtificis max.

 oportu-

opportunitas inuitat officij Religiosissimum Principem dilectio tua studeat frequentare, & non solum Regiam sed & Sacerdotalem ipsius mentem precibus meis obsecrare persiste, vt memor communis Fidei, quam Spiritu sancto docente suscepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat, neque quidquam illis in Ecclesijs Christi licére patiatur, ne in eorum potestate sint diuina mysteria, quibus in domo Dei pro scelerum suorum magnitudine nec habitandi ius residet, nec orandi. Hæc doctissimus, prudentissimusque Pontifex: probè scilicet intelligens has esse pij Principis partes, Ecclesiæ Præfectis assistere, suaque authoritate & seueritate opitulari, ad repurgandas perniciosæ doctrinæ sordes, atque *ad cõfringenda omnia* (vt ait) *machinamenta hæreticorum.* quemadmodum & Ezechias & Iosias Sacerdotibus quondam ac Leuitis affuerunt potentiæ suæ præsidijs, ad idololatriam exterminandam, ita etiam Moyses armauit omnes filios Leui contra idololatras, & occidit ex illis quasi triginta millia, Helias, etiam Prophetas Baal interfecit. Samuel concidit in frusta Agag Regem Amalech, & Mathathias quendam idolis sacrificantem trucidauit super aram. Quæ quidem pluribus rationibus & argumentis confirmare possem, nisi actum agerem, quippè qui hæc elucidauerim libro primo Polit. Aphorism. cap. 5. & infiniti ante me Patres cum veteris, tum recentioris æui, in quibus Dominus Ioannes Lensæus non ita diu S. Theologiæ Doctor & Professor Louaniensis.

Exod. 32. *3. Regũ 18.* *1. Reg. 15.* *1. Machab. 2.* *De vnica Religione c. 9. in fi. & c. 10.*

Certè, operâ & assiduis monitis D. Bernardi Petri Abailardi, & Henrici Apostatæ hæreses, non modò Ecclesiasticis censuris fuere damnatæ, verumetiam per sæculares proceres, regnique Patres profligatæ, & oppressæ. Sed et *Beatus Dominicus*, à quo singulari Dei prouidentia Dominicanorum ordo profluxit, ad Albigensium fœdam

Epist. 197. & seqq.

sectam eliminandam, Comiti Montfortio & alijs pijs nobilibus magnus fuit incentor & adiutor, tandemque fuit ea secta seditiosissimorum hominum Ludouico Rege, concilijs pientissimæ matris eius Blanchæ suppressa, Romanaque religio suæ tranquillitati reddita.

Denique, seculi Potestatem ad Episcoporum commonitionē defensionis suæ aduersus hæreticos officiū præbere oportere, declarat *Lucij tertij* decretū, in quo expressum est eiusmodi verbis: *Statuimus insuper, vt Comites, Barones, Rectores, & Consules Ciuitatum & aliorum locorum, iuxta cōmonitionem Episcoporum, præstito corporaliter iuramento promittant, quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta officium & posse suū. Si verò id obseruare noluerint, honore quem obtinent spolientur, & ad alios nullatenus assumantur. eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Ciuitas autem quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra commotionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio Ciuitatum, & Episcopali se nouerit dignitate priuandam.*

cap. Ad abolendam de Hæret.

Decretū eximiū Lucij III.

Hoc igitur Sacerdotum semper fuit officium, docere quid Principes secularesque Magistratus pro tuenda Ecclesia facere deberent, suique huius debiti illos, cum res postularet, commonefacere: ne quid per somnolentiam eorum Ecclesiā caperet detrimenti.

Ipsimet sectatores non patiūtur alias sectas aut religiones.

Ipsimet Nouatores, vbi dominantur, rerumque potiūtur, nequaquam alios patiuntur à suâ vanâ Religione dissidentes in suis locis viuere, non solum Catholicos, sed ne quidem alijs sectæ à sua. *Iacobum* Britanniæ Regē scimus superioribus annis Batauos monuisse, vt Armenianos tum crescentes statim in herba supprimerent, quod si fecissent conclamatum haud dubiè de illis fuisset, neque cristas, vt

hactenus sustulissent. Rege Britano cohortatore iam opus
Die 20. Iunij 1634. non habent, cum non paucis abhinc mēsibus nostri Con-
termini sacris interdixêre Catholicis, ne nimirū Presbyteri
sacrificio missæ operarentur, neve licitū esset cuiquā in lo-
cis sibi à pauculis annis subactis clā vel palā eidē interesse.

Lib. 5. Instit. cap. 20. Quid ergò magis rationi consentaneum, quam quod Catholici Præsules ac Principes, Magistratusque, Edicta poenalia pro asserēdâ & tuenda sua auita religione in suis proprijs Dominijs, in quibus nempè ius vitæ & necis habent, promulgent? Nunquid non minori sunt potestate Catholici Principes in suis ditionibus, quam illi? Itaque maneat illud verum Lanctantij: *Nihil esse in rebus humanis præstantius Religione, eamque summa vi oportêre defendi.* quod ipsum paulò latius proximo capite ostendemus.

CAP. II.

Ostenditur Hæreticos non esse tolerandos.

SEd videor audire Sectarios, atque adeó frigidos Catholicos bellicum canere, in aliaque omnia ire, ac inclamare in Religionis negotio, in quo libertas cuique ex voto, mollius & humanius agendum: imò verò Christum Mat. 13 Dominum aliud docuisse in Parabolâ illâ de zizaniâ, quā ad tempus tolerandam esse docet, ne vnà triticum eradicetur. Verùm, respondeo Parabolam illam Iudicibus non loqui, qui non sine causâ gladium portant: Siquidem Dei Ministri sunt, vindices in iram eis qui malè agunt. Vnde nemo dubitauerit, quin noxios, homicidas, adulteros, blasphemos, aliosque facinorosos castigare, & è Republica pellere possint, alioquin quid essent Regna, vt inquit D. Max. Hemil. 2 Augustinus, nisi latrocinia? Atqui *grauius est Religionis adulterum esse, quam corporis, & plus est integritatem diuinitatis lædere, quam integritatem hominis violare.* Adstipulatur

D. Hierony: *Hæreticus homicida est, qui animas hominum noxijs & latalibus sensibus interficit.* Ergò, hæretici plus-quam adulteri, & homicidæ pœnâ admonendi, aut certè Catholicorum solo pellendi: quia peius est adulterium, & cædes animæ, quam corporis. Denique, hoc demum prohibet Christus, quando periculum est eradicandi quoque triticum, id est; quando sine præsentis, aut maioris mali periculo hæresis tolli non potest. Testor D. Augustinum: *Nos*, inquit, *ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex vtrisque testimonijs totam sententiam moderari, vt & canes in Ecclesia propter pacē Ecclesiæ toleremus; & canibus Sanctum, vbi pax Ecclesiæ tuta est, non demus.* Stat ergò à nobis præter Hieronymum, Augustinus, qui licet certo tempore pronior fuerit ad tolerandos hæreticos, nec illos capitali pœnâ plectendos censuerit, vt Catholici Cæsares, postea tamen cum diuersis rerum euentibus edoctus esset (licet satis seró) sectarios istos (vtor verbis Cardin. Baronij) abuti Catholicorum modestiâ, atque deteriores euadere, seque nihil profecisse cum toties apud Africanæ Prouinciæ Magistratus pro illis (alioqui detentis in vinculis vltimo supplicio condemnandis) intercessisset, quasi facti pœnitens, recantans palinodiam, præclaram ad Vincentium Episcopum epistolam dedit; quâ disseruit per Magistratus cogi debere hæreticos, & illorum pertinaciam seculari potentiâ esse retundendam, coërcendamque ipsorum audaciam legibus Imperatorum; quod & rursum inculcat in tract. de fide & operibus.

In cap. Iob. 24.

De fide & oper. c. 3. & 5.

Epist. 48

Quid, quod ipsimet Ethnici Religionum diuersitatem, vti Reipublicæ maximè perniciosam minus admiserint? vt supra priori cap. ostendimus: nam cum ex diuersitate Religionum diuortia succedant animorum, fieri non potest, vt ex eiusmodi dissensu coalescant ciuium animi, cum demum ciuium vnitas, ciuitas dicatur. Quid? si

Lib. 5. de Rep.

Respublica, res populi dicitur, vt sensit Scipio apud Ciceronem, populus autem sit cœtus multitudinis, iuris consensu & vtilitatis communione sociatus; nunquid efficitur Rempublicam non esse, quæ non communi quodam in Iustitia assensu & conspiratione teneatur? Repetamus priora illa tempora & antiquos illos Arrianos, quorum factiones contra Catholicos taxant Imperator. Valentinianus, & Gratianus apud Theodoretum. Exemplo res clarior fiat. *Clotildis* filia Clodouæi fratribus id agentibus, nupserat *Almarico* Wisigottorum Regi, sed cum hic esset Arrianus, illa in Catholica religione educata, nullus esse potuit mutuus amor, pax nulla, detestante quippe marito aduersam suæ impietati religionem vxoris, & in eam ipse sæuiebat, & subditis quoque suis faciebat affligendi potestatem, non ob aliud, quam quia viri sui nollet religionem amplecti. Hæc igitur sic oppressa, iniquissimi viri iugo, ad amicos Galliæ Reges confugit plena querimoniarum, quibus illi commoti, mox expeditis ad bellum armis Almarici regnum vna cum perditissima religione subuerterunt.

Procop. Belli Gothi. lib. 1

Harum dissentionum superfluum sit præbere exempla, quibus constare potest diuersas Religiones, nedum in Repub. parere dissentiones, verum etiam calamitates omnes ad sese attrahere vt Cæcias nubem. Ideoque, constat historiarum monumenta legenti, Principes Christianos numquam in suis regnis atque Prouincijs hæreticos sustinuisse; nam Heretici Arriani & Nouatiani à Theodosio exagitati: Eunomiani, Macedoniani, & Montanistæ Legibus Arcadij & Theodosij acerrimè castigati, Manichæi ab Honorio & Iustino Impp. gladio coërciti. Verum Theodosij, & Valentiniani Imperatorum Constitutionem quam aduersus hæreticos sui temporis publicarunt

Cod. de Haret. l. 5.

audiæ

„ audiamus: Arriani & Macedoniani: Pnematomachi,
„ Apollinariani, Nouatiani, seu Sabutiani, Eunomiani,
„ Tetradytæ, seu Tessarescæ decaditæ, Valētiniani, Pauliani,
„ Papianistæ, Montanistæ, seu Prisciliamistæ, vel Phryges,
„ vel Pepuzitæ, Marchionistæ, Borboritæ, Messaliani,
„ Euchitæ, siue Enthousiastæ, Donatistæ, Audiani, Hidro-
„ parastatæ, Tasgodrogitæ, Batrachitæ, Hermogeniani,
„ Photiniani, Pauliniani, Marcelliani, Ophitæ, Encratistæ,
„ Carpocratitæ, Saccophori, & qui ad imam vsque scelerũ
„ nequitiam peruenerunt Manihæi, nusquam in Romanum
„ locum conueniendi commorandique habeant facultatē.
„ Manihæis etiam de Ciuitatibus pellendis & vltimo suppli- *In l. 12.*
„ cio tradendis, quoniam his nihil relinquendum loci est, *C. de hæ-*
in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria. Et in alia constitu- *reticis.*
tione *Iustini* Augusti hæc habentur:

„ Manichæi vndique expelluntur & capite puniuntur.
„ Reliqui autem hæretici (hæreticus est omnis non
„ Orthodoxus) & Græci seu Pagani, & Iudæi & Sama-
„ ritæ prohibentur magistratum gerere, & dignitatem
„ habere, aut ius dicere, aut defensores, aut patres Ciuitatum
„ fieri. Et rursum Theodosius Imper. hæreticos sæpè dãna- *L. 13. C.*
tos, sæpeque pulsos iterùm reuertentes, séque fidelium *Theod.*
cœtibus in Ciuitatibus insinuantes lege lata proscripsit. *de Hæ-* *ret.*

Enimueró, hoc cõmune est omnibus Ciuitatibus, vt cũ semel hæreticis aures Orthodoxi præbent, mox vnâ cum hæresi dissentiones, rixæ, factiones, mala denique omnia, fugatâ rectâ fide, paceque subintrent, vt ex vero notat Cardinalis Baronius, id quod Neocæsariensibus accidisse *Tom. 4.* scribit. Testes etiam sunto Germania, Morauia, Silesia, *an. Chri-* Hungaria, Suecia, Dania, Bohemia, Anglia, Scotia, vt ta- *sti. 363.* ceam Belgium nostrum, bonamque Galliæ partem, quas omnes prouincias, bella funestissima & crudelissima ob

diuersarum admissionem religionum sustinuisse in confesso est. Quippè quæ soleant grauissima inter subditos dissidia procreare, cætus noxios, & conciliabula Principibus, Rebus-publicis perniciosa ciere. Non enim potest inter eos esse verus affectus, inter quos diuersa est fides. Meritò itaque retractandæ in Prouincijs Catholicorum saluberrimæ illæ Cæsarum Constitutiones, aut certè leges pridem in Imperio moreque maiorum apud nos receptæ, renouandæ essent, quibus profectò vel ipsorum Sectariorum saluti consuleretur, proptereà quod per illas multi ad Matrem Ecclesiam, de qua ceù discolæ proles ab hæreticis seductæ exciderant, redire, vacillantes autem in fide confirmari possent. *Da Sapienti occasionem*, inquit Salomon, *& sapientior erit.* & rursum: *Verbis non emendabitur seruus durus, si enim & intellexerit, non obediet.* Prou. 9. & 19.

Verum enimuerò, apud nos Leodienses (qui à Religione Catholica Apostolica Romana iam inde ab Apostolorum tẽporibus ne latum quidẽ vnguem recessimus, quin etiam tenacissimè semper eam retinuimus, & porrò Deo bono iuuante, vel sanguinis nostri pretio retinebimus) longè mitius cum istis hæreticis agitur, neque seuerioribus pœnis, vti tempore Cardinalis à Marka Episcopi ac Principis nostri, admonentur, quemadmodum ex edictis sequentibus videre est, quorũ prius concernens Ciuitatẽ & Suburbia, publicatum fuit 19. Aprilis 1633. alterum verò tangens Vrbes, oppida, pagos & alia loca patriæ Leodiẽsis auctoritate Serenissimi Episcopi ac Principis Leodiensis vtriusque Bauariæ Ducis, Principis Electoris Coloniẽsis emanat die 3. Mai 1633. Sequitur porrò series Edictorum.

MAN-

MANDEMENT PVBLIE' AV PERON DE LIEGE Au son de trompette, & mis en garde de Loy ce 19. d'Auril 1633. en presence de Noble & Illustre Seigneur Iean Baron de Berloz, Comte de Hozemont, Souuerain Mayeur de Liege, Messieurs les Escheuins Mean & Wasoul, y presents aussi Noble Seigneur Raes Dans, Seigneur de Verloux, & honoré Seigneur Nicolas de Pleneuaux, si qu'ayant la clef du Seigneur Pierre Bex S.r de Freloux, absent pour les affaires de la Republique, Bourguemaistres.

De la part de S. A. Sereniss. de Messieurs les Doyen & Chapitre Cathedral, & des Bourguemaistres, Iurez, & Conseil de la Cité.

L'On fait à sçauoir, que comme la Religion Catholique, Apostolique & Romaine reçeüe en ce Pays dés le temps des Apostres, & du depuis constamment mainteniie, ayt tousiours esté l'Ame, le fondement, & la liayson indissoluble de cest Estat, (dont l'Eglise de LIEGE a esté à bon droit decoree du nom de fille legitime de l'Eglise Romaine, qu'elle porte iusques au iourd'huy) & que noz Ancestres par diuers siecles, & saison à la naissance & reiections des Schismes, heresies, & sectes nouuelles s'esparpillantes ailleurs, n'ayent eu rien tant à cœur, & à soing, que d'en empescher l'entree & pullulation, mesme aussi que nul estranger (de quelle condition il soit) ne peut estre reçeu à Bourgeois, ne soit que preallablement il preste le serment & face profession de ladite Religion: Entendát neantmoins qu'aucuns Bourgeois ou domiciliez de ceste Cité & banlieu seduits & mal conseillez, faisants profession de la pretenduë Religion reformee, presumeroient de faire ou se trouuer és conuenticuls & assemblees touchant leurditte Religion, & mesme exercer & commettre actes tres scandaleux contre nostre sainćte Foy, & dommageables à cest Estat, pour imiter nosdits Ancestres, & à fin que la dissimulation & conniuence n'attire l'ire de Dieu sur nous, & le bouleuersement de l'Estat; L'on defend & interdit toutes telles assemblees, & conuenticuls tant appertes, qu occultes, esquels, en qu'elle façon que ce soit, l'on viendroit à enseigner, professer, lire, traićter, ou faire aucun acte contraire à la Religiõ Catholique, Apostolique, & Romaine. Ordonnant, & commandant à tous ceux qui voudront faire le contraire, & viure en autre Religion, que la susdite, qu'ils ayent à se retirer & absenter de la Cité, Franchise & Banlieu, & de tout le Pays, dans le terme de quinze iours peremptoirement, pendant quel terme ils ne deueront exercer aucun acte scandaleux, à peine d'estre chatiez en rigueur de Iustice par la loix & Franchise au regard des Bourgeois & domiciliez, & quant aux autres comme de coustume. Et si aucuns d'autres pre-

tenduës Religions quels ils soient, Bourgeois, ou Estrangers, fussent si temeraires que de commettre aucun act scandaleux contre nostre Foy & Religion en quels lieux que ce fust, mesme immuns & ruës claustrales, est commandé à tous Officiers, Ministres de Iustice, & Bourgeois, de les saisir esdits lieux & tous autres, voire quant aux maisons auec la clef Magistrale, & les conduire ou faire conduire en noz prisons pour estre condignemēt punis, à quel effect sont lesdits Officiers, Ministres & Bourgeois par ce present Edict authorisez & prins en Sauuegarde, & quant aux maisons claustrales & immunes, pour euiter toute occasion de desordre, pourra l'vn des Officiers de S. A. ou l'vn des Seigneurs Bourguemaistres (estant bien informé & asseuré du fait) demander l'ouuerture de la maison ou lieux immun, ou tel exces seroit cōmis, ou bien tel faituel seroit retiré, recelé, ou refugié, laquelle ouuerture en ce cas ne sera refusee ausdits Seigneurs, non plus que des maisons des Bourgeois, à tout quoy Messieurs les Preuosts, Abbez, Prelats & Clergé ont consenty.

Que tous Bourgeois & Hostteliers n'ayent à permettre ny tolerer en leurs maisons, de faire ou exercer aucun act contrauentoir à ladite Religion Catholique, Apostolique, & Romaine, à peine que dessus.

Que tous Estrangeres & passagers s'auront à comporter en telle sorte que par leurs comportements ils ne donnent, ou façent aucun scandal par quelle action que ce soit.

Que ceux qui seiourneront, ou deueront seiourner icy pour quelques affaires publiques ou particulieres, estants d'autre Religion que de la susdite, se deueront declarer au Grand Mayeur & Magistrat, & pendant leur sejour se comporter comme dessus.

Tous contraueneurs outre la peine susdite incourreront aussi l'amende de deux cens florins d'or exigibles par prompte & parate execution comme les deniers priuilegiez, la tierce de laquelle suiura au delateur, l'autre tierce à l'Officier qui en fera le deuoir & poursuitte, l'autre tierce à la Cité.

Et est aussi commandé à tous Officiers & Ministres de Iustice de tenir la bonne main à l'obseruance du present Edict, & de proceder & faire proceder à l'encontre des contraueneurs en toute rigueur sans porte ou dissimulation, & que ce present Edict soit publié & mis en garde de Loix. Fait ce 18. d'Auril 1633. *A Liege, Chez Ian Ouvverx, Imprimeur Iuré de S. A. Sereniss.*

Par ordonnance de mesdits Seigneurs

N. Verlaye. H. le Clerc.

FERDINAND *par la grace de Dieu, Eslеu & confirmé Archeuesque de Cologne, du Sainct Empire Romain par l'Italie Archicancellier & Prince Electeur, Euesque de Liege, Paderborne & Munster, Administrateur de Hildesheim, Berchtesgade & Stauelot, Comte Palatin du Rhin, Duc des deux Baniers, Westphale, Engeren & Bouillon, Marquis de Franchimont, Comte de Loos, Loingne, Horne, &c.*

A tous ceux qui ces presentes noz lettres d'Edict verront, ou lire oront, Salut, Sçauoir faisons, Que comme la Religion Catholicque, Apostolicque & Romaine,

Romaine reçeüe en ce nostre Pays de Liege dés le temps des Appostres de nostre Seigneur Iesus-Christ, & du depuis constamment maintenuë, ayt tousiours esté l'ame, le fondement, & la liayson indissoluble de cest Estat, (dont nostre Eglise de Liege a esté à bon droit decoree du nom de *Fille legitime de l'Eglise Romaine* qu'elle porte iusques auiourd'huy;) & que nos Predecesseurs Euesques & Princes de Liege par diuers siecles & saisons à la naissance & reiections des schimes, heresies & sectes nouuelles s'esparpillantes ailleurs, n'ayent eu rien tant au cœur, & à soing, que d'empescher l'entree & pullulation, mesme aussi que nul estranger (de quelle condition qu'il soit) ne peut estre receu à Bourgeois, ne soit que preallablement il preste le serment & face profession de ladite Religion Catholique: Entendant neantmoins à nostre grand regret qu'aucuns Bourgeois, & autres domiciliez de noz Villes, Bourgades, Villages, & plat Pays, seduits & mal conseillez, faisants profession de la pretenduë Religion reformee, contraire à nostre vraye Foy & ancienne Religion Catholique susdite, presumeroient de faire ou se trouuer és Conuenticuls & assemblees touchant leur pretenduë Religion, & mesme exercer & commettre acts tres-scandaleux contre nostre saincte Foy, & loix fondamentale de cest Estat, au tres-grand preiudice d'iceluy: Ce pourquoy qu'ayant eu sur ce le Conseil & aduis des Venerables noz Treschers & bien aymez Confreres les Doyen & Chapitre de nostre Eglise Cathedrale de Liege, auons trouué bon, & tres-necessaire suyuant les traces de nosdits Predecesseurs, & à fin que la dissimulation & conniuence n'attire l'ire de Dieu sur nous, & le bouluersement de l'estat, d'ordonner pour la plus grande gloire de Dieu, bien, repos, & tranquillité de noz Subiects, & maintien de nostre saincte Foy, & ancienne Religion comme s'ensuit.

Premier, defendons & interdisons bien serieusement toutes telles assemblees. & Conuenticuls tant appertes, qu'occultes, esquels en quelle façon que ce soit, l'on viendroit à enseigner, professer, lire, ou traicter, ou faire aucun act contraire à la Religion Catholique, Apostolique, & Romaine: Ordonnant & commandant à tous ceux qui vourront faire le contraire, & viure en autre Religion que la susdite, qu'ils s'ayent à se retirer, & absenter de noz bonnes Villes, Bourgades, Villages, & de tout le Pays dans le terme de quinse iours peremptoirement, à compter du iour de la publication de ce present Mandement, pendant quel terme ils ne deueront exercer aucun act scandaleux, à peine d'estre chastiez en rigueur de Iustice, selon les loix du Pays, comme perturbateurs du repos publique. Et si aucuns d'autre pretenduë Religion, quels ils soient, Bourgeois, Inhabitans, ou Estrangers, fussent si temeraires que de commettre aucun act scandaleux contre nostredite saincte Foy & Religion, en quels lieux que ce fust, mesme immuns & ruës claustrales, Commandons à tous noz Officiers, Ministres de Iustice, Bourgeois, Inhabitans, & subjects de nostre Pays, de les saisir esdits lieux, & tous autres: Voire quant aux maisons pour euiter toute ocasion de desordre, y assistera à l'apprehension quelque Officier, Ministre de Iustice, ou Bourguemaistre pour les conduire, ou faire conduire és noz prisons, pour estre condignement, punis, à quel effect authorisons lesdits Officiers, Ministres, Bourgeois, Inhabitans

tans & Suiects par ce present Edict, & les prenons en nostre protection & sauuegarde; Et quant aux maisons claustrales,& immunes, pourra l'vn des Officiers, Ministres, ou Bourguemaistre (estant bien informé & asseuré du fait) demander l'ouuerture de la maison ou lieu immun, où tel exces seroit commis, ou bien tel fait tel seroit retiré, recelé, ou rufugié, laquelle ouuerture en ce cas ne sera refusee à iceux non plus que des maisons des Bourgeois & autres Surceans du Pays, à tout quoy les Seigneurs Preuosts, Abbez, Prelats, & Clergé donnerõt leur consentemẽt, comme ceux de nostre Cité ont dõné.

2. Que tous Bourgeois, Manans & Hostelliers n'ayent à permettre, ny tolerer en leurs maisons de faire ou exercer aucun acte contrauentoir à ladite Religion Catholique Apostolique & Romaine à peine que dessus.

3. Que tous Estrangers & Passagers s'auront à comporter en telle sorte, que par leurs comportemens ils ne donnent ou facent aucun scandal par quelle action que ce soit.

4. Que ceux qui seiourneront, ou deueront seiourner és noz Villes & Pays de Liege, pour quelques affaires publiques, ou particuliers, estant d'aultre Religion que de la susdite, se deueront declarer à l'Officier & Magistrat ou Iustice du lieu, & pendant leur sejour se comporter comme dessus.

5. Tous Contraueniteurs outre la peine susdite incourreront aussi l'amende de deux cents florins d'or, exigible par prompt & parate execution, comme les deniers priuilegiez, la tierce de laquelle suyura au delateur, l'autre tierce à l'Officier, qui en sera le debuoir, & poursuitte, l'autre tierce sera par nous appliquee aux pauures, & places pieuses du lieu: Et seront neantmoins lesdits Contraueniturs apres le payement de ceste amende tenus de se retirer hors nostre Pays en dedans trois iours apres, soubs peine de payer le double, ou autre arbitraire.

6. En suitte des vieux Statuts & coustumes anciennes de nostre Pays, ordõnons que nuls Estrangers seront reçeu à Bourgeoisie, ou à habitation és noz Villes, & nostre Pays, qu'au preallabre ils n'ayent fait la profession de la Foy Catholicque, Apostolique, & Romaine és mains de leurs Superieurs, ou Pasteurs. Comme aussi personne ne sera admis à aucun office publique, ou mestier, sans auoir fait auparauant la profession susdite és mains de ceux ausquels il touche de l'admettre.

7. Que nuls Maistre, ou Maistresses se presumeront tenir Escolles pour enseigner les enfans, & la Ieunesse en nostre Cité, & bonnes Villes, & Pays de Liege, si preallablement ils ne soyent approuuez, par nous, ou nostre Vicaire general en la Cité, & és bonnes Villes, & plat Pays par les Archidiacres, ou Doyens Ruraux, és mains desquels feront la profession de la foy Catholique susdite en dedans quinse iours apres la publication de ce nostre Mandement, autrement incoureront *ipso facto* la peine de cent florins d'or d'amende pour la premie fois, applicables comme dessus, & pour la deuxiesme le double, ou autre arbitraire.

8. Ne serat permis à aucuns Librairs & Imprimeurs tant en nostre Cité de Liege, que és noz Villes,& dans nostre Pays de vendre, ou Imprimer liures de quelle matiere que ce soit, ou escrits sans l'approbation de nostre Vicaire.

9. Mesme

9. Mesme aussi defendons à tous, & vn chascun de pouuoir lire, ou faire lire, ou tenir chez soy aucuns liures ou escrits heretiques, soubs quelque pretext que ce soit, autrement encoureront la peine de 50. florins d'or pour la premiere fois, 100. pour la deuxiesme, & pour la troisiesme le double, applicables les deux tierces aux lieux pieux, ou autre Peine arbitraire, & l'autre tiers au Delateur.

10. Commandons à tous Curez & autres ayant charge des ames, d'enseigner la Doctrine Catholique Apostolique & Romaine, en faisant les Catechismes les iours des Dimanches à certaine heure commode au peuple, comme aussi à tous Mayeurs ou Officiers des lieux, de commãder à tous Surceãts d'enuoyer leurs enfants ausdits Catechismes à peine d'vn flor. d'or contre les refractairs, & notablement defaillans.

11. Ordonnons aussi ausdits Curez, tous Predicateurs tant de nostre Cité, que Villes & plat Pays de Liege de publier cest nostre Edict & Mandement le premier Dimanche apres qu'il sera venu à leur cognoissance au peuple assemblé és leurs Eglises, laquelle publication ils renouuelleront de trois à trois mois; Comme pareillement tous Officiers, & Ministres de Iustice seront tenus d'incontinent le publier, ou faire publier tant par viue voix, comme par affiches és lieux accoustumez de leurs offices, demeurant neantmoins quant au rest en leurs forces & vigueur noz anterieurs Mandements, & ceux de noz Predecesseurs.

12. Finablement, commandons bien serieusement à tous Officiers & Ministres de Iustice de tenir la bonne main à l'obseruance du present Edict, & de proceder à l'encontre des Contraueneurs en toute rigueur, sans porte ou dissimulation, à peine d'estre priuez de leurs offices, & chastiez arbitrairement. Donné soubs nostre Seel Secret en nostre Cité de Liege, ce 3. du Mois de May, 1633.

Elderen V.t

M. Hustin.

A Liege, Chez Jean Ouwerx, Imprimeur Iuré de S. A. Serenissime.

Mandement publié au Peron de Liege au son de trompette, & mis en garde de Loy, ce 9. Iuillet 1633. en presence de Noble & Illustre S.r Iean Baron de Berloz, Comte de Hozemont Souuerain Mayeur de Liege, les Seigneurs Escheuins Soy & Wasoul, y present aussi Noble Seigneur Raes Dans, Seigneur de Velroux, &c. & Honnoré Seigneur Nicolas de Pleneuaux, si qu'ayant la Clef du Seigneur Pierre Bex S.r de Freloux, Bourguemaistres.

DE la part de Son Alteze Serenissime, Son Chapitre Cathedral, & des Bourguemaistres, Iurez & Cõseil de la Cité de Liege. L'on faict sçauoir, Que comme cestediite Cité, Franchise & Banlieu ayt des Roys, Potentats, & Estats,

604

Estats voisins, entre quels il y auroit guerre, pour oster tous inconuenients & maux lesquels on a ressenti du passé, & que l'on ressent encor, aussi preuenir aux dangereuses consequences qui pourroient estre continuées par mauuais offices & rapports, & maintenir la Foy, Liberté de nos Predecesseurs, & vne vraye & sincere Neutralité auec lesdicts voisins pour le bien & repos de cest Estat, Est ordonné à tous & vn chascun de quelle qualité, condition, ou estat qu'ils soyent icy residents, qui se seroient obligez ou s'obligeront par pension, gage, serment militaire ou autremét à l'vn ou l'autre desdits Roys, Potentats & Estats, ayent à se declarer dans tiers iours apres la publication du present Mandement aux grand Mayeur & Bourguemaistres, & de mesme que ceux qui d'oresnauant se rendront pensionaires ou se mettront au gage, & pretendront icy resider, seront semblablement obligez se declarer dans tiers iours apres, à peine d'estre tenus & declarez comme par ceste on les declare ennemy de cest Estat & repos publicq, & d'estre poursuiuis & chastiez comme tels en rigueur de Iustice. Et d'autant que plusieurs ausquels par les Edicts touchant la Religion Catholique, Apostolique & Romaine, est deffenduë la residence en cestedite Cité, Franchise & Banlieu, & autres, ausquels en vertu des Statuts, Ordonnances, Sentences & Decrets particuliers n'y est permis la venuë, se presument pour les rendre elusoirs soubs pretext de Bourgeoisie ou milice estrangere venir, resider, tenir leur mesnages, & exercer leurs arts & professions comme au parauant, Est declaré que nonobstant telles Bourgeoisies & milices, l'on procedera contre eux par saisie de leurs personnes, & autrement au contenu desdits Edicts, Statuts, Ordonnances, Decrets & Sentences. Donné ce 9. de Iullet 1631.

A Liege, Chez Jean Ouwverx, Imprimeur Iuré de S. A. Serenissime.

Par Ordonnance de mesdits Seigneurs.

N. Verlaye. H. le Clere.

CAP. III.

Vnitatem tantum Religionis admittendam. Illam non inueniri in hæreticis. Horrenda illorum blasphemia. Conueniunt inter se vt Matrem Ecclesiam oppugnent, vnde prodierunt: at illi inter se dissident in substantia fidei. Ideò Ecclesia ipsorum non est vera Ecclesia propter opinionum diuersitatem. Vnitatem tantum reperiri in Ecclesia Dei. Diuersitatem reijciendam ipsimet fatentur. Episcopos & Principes despiciunt.

INter alias Ecclesiæ Catholicæ Notas, esse Vnitatem, concors est omnium Orthodoxorũ sententia. Magnus ille

ille Tertullianus qui in ipsis Ecclesiæ incunabulis scripsit, hoc apertè indicat:

Vna, inquit, *omninò est sola, immobilis, & irreformabilis*. Et iterum: *In ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit*. Doctor ille gentium, Ecclesiam hortatur ad vnitatem spiritus: *Solliciti* inquit *seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus Spiritus*. Et alibi. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Et Sanctus Augustinus notat, *Christum Dominum constituisse doctrinam veritatis in Vnitate Sedis*, ostendens extra Sedē summi Pastoris non inueniri Vnitatem fidei, cum illa pendeat à veritate doctrinæ. Et S. Cyprianus scribit *Christum Dominū, vt ostenderet Vnitatem sua Ecclesiæ, constituisse vnam Cathedram, suaque auctoritate disposuisse originem Vnitatis sua Ecclesiæ, quam Petro communicauit*. Et postea: *Exordium Ecclesiæ ab vnitate cuius primatus datus est Petro, vt ostenderet vnam dumtaxat esse Ecclesiam Jesu Christi, & vnam Cathedram*. Idem ostendit *Ecclesiam Dominici luce perfusam* (eius verba) *per totum orbem terrarum radios suos porrigere, vnum tamen Lumen esse, quod vbique diffunditur: sicut arbor magna longè latèque ramos extendit, vnâ tamen radice fulcitur, vno fidei robore sustentatur*. Præclarè S. Hieronymus: *Non debetis existimare plures esse Ecclesias, quæ habeant vbera doctrinarum, vt possint credentes scientia lacte nutrire. Vna est Ecclesia, & vnus Christus Sponsus Ecclesiæ*. & alibi: *Ecclesia* inquit, *ex pluribus personis congregatur, & tamen vna dicitur, propter Vnitatem fidei*. Neminem autem qui hanc vnicam non habuerit, salutē æternam consequi posse, etiamsi alioqui laudabiliter vixerit, concors est Orthodoxorū sententia. vide R. P. Lessiū

de Praescript. | *Ad Ephes. 4.* | *Ad Roman. 12.* | *Epist. 166.* | *Lib. de Vnit. Eccles.* | *Ibid.* | *In Psal. 67.* | *In Psal. 23.* | *Salutem non est qui vnicam non agnoscit Ecclesiā.*

in sua Consult. Quæ fides & Religio sit capescenda & Io: Barclaius Parænes. ad sectarios lib. II. cap. 6. vbi quoque ostendit, insulsum esse disputare, vtrũ vnica ista Ecclesia ad hanc vsque ætatem durauerit: quia hoc esset quærere, vtrum in aliquot hominibus voluerit Christus suam fidẽ incolumem esse: & verò voluisse, quis sanus dubitabit? quomodò eleuabitur illud. Mathæi, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Ecclesiam. & istud: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*

Cap. 16. & c. 28.

Porrò, vnitatem hanc in hæreticis minus inueniri, luce clarius est: vnum enim corpus eodem Spiritu regi debet, Caluinistæ autem, & alij Sectarij in suâ fucatâ & mortuâ fide, vno spiritu non ducuntur, ergò sub vno eodemque corpore censeri non debent. *Mentior*, inquit Tertullianus, *si non etiam regulis suis variant inter se.* ostendamus hoc in nostris. Ecce Caluinisticam profitentes, multimodis inter se digladiari certum est: adeò vt tot sint monstra, quot capita, imò potius monstrum vnum multorum capitum. Atque hoc est quod sensit Apostolus: *Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes & in errorem mittentes.* Non enim tam de singulis seductoribus dictum est, quam de vniuerso genere seductorum, id est hæreticorum, quod serie quadam errorum & errantium protenditur vsque ad finem mundi. Si consideremus Angliã, ibi videbimus duo genera Caluinistarũ, alios Puritanos, alios Antipuritanos; alios Anglocaluinistas, alios Caluinopapistas, alios Lutherocaluinistas. Si prouincias vicinas, alios Gõmaristas, alios Armenianos, qui inter se acerrimè pugnant circa prædestinationem & liberum arbitrium, vtrosque quadantenus Caluinistas. Si Poloniã, nouos Arianos. Porrò secta Puritanorũ exorta est circa annũ 1565. ita nominata quod præ cæteris purior haberi velit, quos

Vnitas Ecclesiæ non inuenitur in Hæreticis.

De Præscript.

Dissidia hæreticorũ inter se.

Tim. I.

Caluini secta diuisa inter se.

semper

semper detestatus fuit Iacobus Angliæ Rex in suo ad filiũ libello, cui titulum fecit, βασιλικὸν δῶρον. Antipuritani siue Anglocaluinistæ sunt, qui sequentes in parte opinionem Caluini, in alijs ab illo dissident, adhærentque partim Luthero, partim Ecclesiæ Catholicæ, quoad scilicet Oeconomiam Ecclesiasticam & nonnulla alia administrationem Sacramentorum, seruitiumque Diuinum concernentia, quæ tamen Puritani pro Idololatriâ interpretantur. Istos, ceù exerrantes in fide excomunicari fecêre Antipuritani in synodo celebratâ Lōdini anno 1603. in quâ 141. Canones publicati, quorũ maxima pars habita fuit per Puritanos, Ministros Gallos, Germanos & alios pro purâ purâ Idololatriâ. Angli, damnant versionem Bibliorum Geneuensem, quam alij probant. Noui Arriani, negant (vt antiqui illi Albigenses) diuinitatẽ & consubstantialitatem filij, quam hæresim multis iam præterlapsis seculis damnauit Ecclesia Catholica Romana, quæ hæresis surculus dici potest pestiferæ arboris Caluini, dum docuit Deum Patrem tantum verè esse Deum non filium: Item Deum Patrem primam esse causam rerum omnium, filium verò secundam; quæ dogmata velut impia ipsi net reiecêre Ministri Transyluaniæ. Rursum, hi noui Arriani subdiuiduntur in Socinianos, ita nominatos à Fausto Socino Genensi; & alios, quorum pestilentem doctrinam, aut aliquot illius specimina ex libello quodam in Gallia edito, anno 1612. profert noster Ludouicus à Castro magnæ viri celebritatis & doctrinæ, in suo libro, cui titulum fecit, *La Religion pretendue des Prouinces Belgiques vnies desvnies.* Et inter alias propositiones istius sectæ, istæ referuntur 1. Quod Christiani duos debeant adorare Deos. 2. Quod Dominus Iesus tota sua vita fuerit solum semi-Deus, & semi-Dominus 3. Quod idem ipse sit

Blasphemia hæreticorũ.

Deus metaphoricus. 4. Quod non satis pro peccatis nostris fecerit, imò non potuerit, & proinde Deum gratuitò peccata nostra cõdonasse. Quibus propositionibus nihil putẽ scelestius contra Diuinam Maiestatem excogitari posse.

Pari ratione de secta Lutheri dicemus, quæ rursum in alias complures diuisa. Hinc enim orti Bucerani, Melancthonici, Castaliones, Brentiani, & aliæ sexcentæ inter se diuisæ sectæ ab vno nihilominus capite, sed hellebo-ro digno, Luthero profluentes. *Lutheri secta in plures diuisa.*

Denique, si cæteros Hæresiarchas & irreligiones potius quam Religiones spectemus, tantas videbimus diuisiones, quot erunt religionis species, cum tamen vna solum sit fides & vnum baptisma, adeò vt liceat nunc palã edicere de Caluinistis, & Lutheranis quod aliquando de Melancthoniensibus dixit Illyricus: Quod ipsi nihilo plus inter se conueniant, quam inter ædificatores turrim Babel & quod aduersus hçreticos dixit Tertullianus *hæreses omnes penitius inspectæ in multis cum auctoribus suis dessentientes deprabunduntur.* *Lib. de Præscri.*

Nec solum vna secta aliam persequitur, sed vna eadẽque inter se dissidet, vt videmus in ipso Luthero qui in plerisque suis pestiferis dogmatibus discors est, adeò vt non minus ipse sibi, quam Ecclesiæ Catholicæ aduersetur vt Cochlæus clarè ostẽdit. Idem in Philippo, Melancthone & auctoribus confessionis Augustanæ, qui sua sepissimè dogmata immutarunt, & Cothurno versatiliores in omnem se partem verterũt, & tandem in incertâ fide manserunt. Doctrinæ hanc incõstantiam & dissonãtiam satis agnouit Lutherus ipse, scribens Christum non aliter oppugnare hæreses, quam per diuisiones & Schismata.

Ac licet inter se dissentiant, caneque peius & angue sese oderint cõueniunt tamen *vt matrem suam Ecclesiam, quæ*

eos genuit, oppugnent, vt scribit sanctus Hieronymus, sic inquiens: *Omnis hæreticus nascitur in Ecclesia, sed de Ecclesia proijcitur & contendit & pugnat contra parentem*. Pulchrè Tertullianus *Nihil interest illis, licet diuersa tractatibus, dum ad vnius Veritatis expugnationem conspirent*. *In Hierem. c. 13. & 23.*

Monitũ ne quis separetur ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ.

Ergo vides, lector, quam inter se dissentiant sectatores, & quam solliciti esse debeant ij qui animarum curam habent, vt ad synceram suos cohortentur vnionem: *Nihil quippè sic formidare debet Christianus*, inquit S. Augustinus, *quam separari à corpore Christi, quod est Ecclesia, vtique vna Catholica: si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, si non est membrum eius, nõ vegetatur spiritu eius. Quisquis autem Spiritũ Christi non habet* (ait Apostolus) *hic non est eius.* *Tract. 27. in Ioan.*

Solutio obiectionũ hæreticorũ.

Sed reponunt, vt incautam plebeculam decipiant, dissidia ista non versari in substantia fidei, neque vllatenus obesse Reformationi, quã obtendũt. quod tamẽ falsissimũ sit: quia, materia prædestinationis & liberi arbitrij, est ex præcipuis pũctis fidei & religionis, quod ipsum satis testatur Franciscus Gomarus, in publica cõferentia non ita pridem habita cum Arminio, dum palam edixit materiam suæ controuersiæ esse longè maximi momenti, neque se tribunali Diuino sistere audêre Arminij opinione imbutum: Ideoque nisi vlterior disputationum & dissentionum ansa præcideretur, Arminioque silentium imponeretur, magnos fore motus in statu Ecclesiæ, imò integras Prouincias & Ciuitates, Ecclesias ipsas inter se digladiaturas: in quo non fuit vanus Aruspex: nam nos vidimus Vrbes pœnè omnes, suos secutas fuisse ministros, Vltraiectum, Lugdunum, Roterodamum, Brilam, Arnhemium, aliæ alios, vt impetus earum ferebatur, etiam cum periculo internecionis.

Itaque, si prædestinationis materia non spectet ad fidẽ, quid

quid causæ, est cur tanti momenti illam dicat Franciscus Gommarus? cur Ariminius primum & præcipuum punctum Religionis dicit esse materiam Prædestinationis? immò fundamentum, inquit, Christianismi & salutis humanæ? cur Petrus Bertius, Arminij assecla, metitur religionem à prædestinatione? id est, si doctrina prædestinationis vera est, aut falsa, verisimiliter vera erit, aut falsa Religio. Rursum, Gommoristæ in quodam libello cui titulus, *Christiana & modesta declaratio*, taxantes Arministas, scribunt eos docere res absurdas, & paradoxas, contrarias ac repugnantes verbo Dei, ac sese tandem post infinita conuicia, hæreticos, pestes, Atheistas vocant. Ergò articulus fidei iste, super quo tam acriter inter se disputant, nec inter se vllatenus conueniunt, illorum sensu prorsus ad fidem & Religionem pertinet, neque quisquam nisi impius sit, aliud euincet.

Materia prædestinationis est fidei.

pag. 240

Ex quo efficitur, Ecclesiam Sectariorum non esse veram Ecclesiam: propterea quòd vera Ecclesia, vt hoc addam; vnam eandemque fidem colat: quod ipsum ostenditur iterum Apostoli testimonio: *Solliciti, inquit, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus Spiritus, vnus Dominus, vna Fides, vnum baptisma*, & quidem sub vno visibili corpore. Vera enim Fides, atque vera Ecclesia, vbique notissima est, ipsa visibilis est; *mõs in vertice* montium, Ciuitas supra montem: *tabernaculum in sole, lucerna supra candelabrum*: immò tam visibilis, vt crediderint olim Sancti, ipsam *posse digito ostendi, quomodo ostenditur hominibus noua luna*: & vt præsumpserint, *stultos, vanos, & cæcos, iudicare, qui tam magnum montem non vident; qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt*,

Sectarij non habent veram Ecclesiam.

Ephes. 4.

Ecclesia Catholica visibilis.

Mich. 4.
Psal. 18.
Math. 5
August. tract. 2. in Ioan.

Est ergò Ecclesia Catholica Vna, eaque visibilis: *Sicut enim corpus vnum est & membra habet multa, omnia autem membra*

1. Cor. 12

Ecclesiæ Catholicæ vnitas. *membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus: Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum aptizati sumus, &c.* Corpus istud significat cœtum omnium Christianorum, statum vnius Religionis, vnius Ecclesiæ: membra fideles omnes: membra ista tam locorum & operationum interuallis dissita, quomodò ad vnitatem sunt reducta? per vnum scilicet spiritum, qui totum corpus informat. *Vnus Spiritus, vna Fides.* Vt corpus, si à diuersis spiritibus regeretur, informe sit necesse est: ita & Ecclesia. Hanc Vnitatem in vno spiritu in suâ Ecclesiâ ostendit Christus, dum illam vocat *vnum ouile*, his verbis: *Et alias* Ioan. 16. *oues*, inquit, *habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & meam vocem audient & fient vnum ouile & vnus Pastor.* *Hæretici non sunt de ouili Christi.* Hæretici non sunt de isto ouili, non sunt in istâ Ecclesiâ: quia pleni sunt dissentionum inter se: Vnitatem illam non habent, nec vnquam habebunt: Hæc nota Catholicis tantum competit. *In hoc cognoscent omnes*, inquit Ioan. 13. Christus, *quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Qualem, quæso, dilectionem habent inter se hæretici in tanta doctrinæ varietate?

Obiectio hæreticorum soluetur. Atenim, nec inter vos conuenitis, inquiet Sectarius, quis enim nesciat, immane quantum inter se dissideant Scotistæ, & Thomistæ? Verùm, respondemus, nos minimè inter nos disceptare de substantiâ fidei, sed de rebus dubijs, & hauddum ab Ecclesiâ definitis, & quibus credendis suum cuique arbitrium, sine cuiusquam inuidiâ, relictum est. Aliter hæreses omnes; quæ inter se de ipsa fidei substantia diuersis modis dissident, & quidem cum implacabili & plusquam ciuili odio dissident, vel ipsius Erasmi testimonio: *Quid hic*, inquit, *commemorem, quanta inter Euangelistas (sic enim ipsi se vocãt) dissentio, quam amarulenta contentio, imò quanta inconstantia, cum ipse Lutherus toties* Lib. 3. de lib. arb.

ties mutarit sua placita, & subinde noua paradoxa suppullulent.

Ergò in illa vnitate fidei (in qua soli Catholici) non viuitis. quid igitur superest, nisi vt imitatione eorum qui
Gen. 11. ædificabant turrim Babel, quorum lingua confusa erat, & ea de causa totis animis & corporibus dissidebant, & singuli in alia omnia ibant, egrediamini de medio Babilonis, reuertiminique vnde prodijstis ad S. Matrem Ecclesiam quam tam acriter oppugnatis? *Hæreses omnes* (inquit S. Augustinus) *de Ecclesiâ exierunt tanquam sarmenta inutilia de vite pratiosa, ipsa autem manet in radice sua.*

Dissidiũ turris Babel hæreticis aptatũ.

De symbolo ad Cathecũ.

Discessus sui ab Ecclesia, prætextum quidem afferunt, Cleri interdum dissolutionem, Regum & Principum intolerabile iugum, ac tyrannidem, sed non eò excusabiliores erunt: monet enim S. Petrus: *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* & Christus ipse Dominus, *super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite: si quæ autem fecerint malè, facere nolite.* S. quoque Ignatius magnus ille Martyr discipulus S. Ioannis Apostoli, hæc scribit. *Studete dilectissimi esse subiecti Episcopo & Præsbyteris, & Diaconis: qui enim his subditus est, Christo qui eos largitus est, obedit, qui autẽ non obedit eis, non obedit Christo Iesu. Qui non obedit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: temerarius einm & contentiosus est superbus qui non obedit Superioribus.* & Deuteron. 17. *Facies quæcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus & docuerit te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum &c. Qui autem superbierit nolens obedire Sacedotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille.* His conformia sunt quæ scribit præclarè Tertullianus. *Soli enim*, inquit, *Dei filio seruabatur,*

1. Pet. 2. Mat. 23. In epist. ad Ephesios. De præscrips. c. 2.

Frustra hæretici allegant Cleri interdum dissolutionem.

sine

sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideòne hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide probamus personas?

Notét ista hæretici huius tempestatis, qui nedum Episcopos & Sacerdotes superbissimè despiciunt, verum etiam Regum & Principum seculi Imperium & auctoritatem apertè, si non tollunt, at eleuant. Sauli Regi, cuius fuit deterrimum in subditos & Sacerdotes imperium, nunquid non ius illi negabimus imperandi fuisse? Sacram paginam consule, clarè edicentem Dauidem Regem cum necandi Saulem haberet sæpius potestatem, noluisse tamen manus in illum inferre: cur ita? quia erat vnctus Domini, legitimus Rex erat, & si non moribus, Rex tamen erat. *Liberi enim sunt* (inquit D. Ambrosius) *Reges à vinculis delictorũ; neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus tuti imperij potestate.* Qua de re latius egimus libro sexto Politicorum Aphorism. cap. 13. Attamẽ hæretici qui solis alioqui scripturis innituntur, ista non attendunt, ac potius despiciunt.

Sauli Regi parcit Dauid. *2. Reg. 1 & 1. cap. 24.* *Apol. Dauid c. 4.*

Paraenesis ad Principes vt Catholicã tueãtur Ecclesiam.

Verùm, est vestrum ô Principes Catholici? Religioni cõsulere, eamque aduersus tot illius hostes & oppugnatores sartam tectam tueri, neque pati vt Catholici, qui suis semper Principibus fidi sunt, opprimantur. Certè, legimus neminem vnquã ex Christianis primitiuæ Ecclesiæ inuentum esse, qui aduersus Imperatores etiam tyrannidem exercentes conspirarit, imò assiduis precibus Deum pro illis exorasse solitos, vt auctor est Tertullianus: quod contra in hæreticis notatur, vt postea exemplis varijs ostendemus. Ergò, hoc agite & cauete, ne tantæ sectarum diuersitates in perniciem vestram & Reipublicæ introducantur: alioquin auctoritatem vestram, imò salutẽ, si inualescant, in dubium reuocabitis. qui nutrit serpentẽ

Catholici Principibus suis semper obsequentes. *Cap. V.*

614

in ſinu ſuo tandem mordebitur, diceturque ei, dignam certè recepiſti mercedem, vt totidem verbis ſcribebat Hadrianus Papa ſub initium Lutheraniſmi Duci Saxoniæ Io: Friderico in cuius dominatu totius incendij fax Lutherus agebat, ita referente R. D. Chapeauille Canonico & Vicario Leodiẽſi præſtantiſſimo. Itaque periculũ ex alijs facitote, quod ex vſu veſtro ſiet. Remitto vos ad afflictam modò Germaniam, Poloniam, Belgium & nonnullas Galliæ ditiones. At iſta proprio poſtea capite latius deducemus.

Tom. iij Annal. in Erardo à Marcka c. 13.

CAP. IV.

Cauſæ præcipuæ cur hæreſes ſint ſuſpectiſſimæ & fugiendæ. 1. à Notis Religionis Catholicæ contrarijs. 2. à libertate & ſubuerſione bonorum operum. 3. à nouitate doctrinæ. 4. à blaſphemijs in Deum. 5. ab Auctorum diſſolutiſſimâ & ſpurciſſimâ vitâ.

QVemadmodum nihil æquè animũ cuiuſquam inducere poteſt ad capeſſendam Religionem Catholicam Romanam, quam conſideratio Vnitatis (ſed & aliarum Notarum, quarũ tractationem hic non ſuſcipimus, cum iuſtum volumen impleret) quæ in illa depræhenditur: ita nihil perinde valet ad declinandas hæreſes, & hæreticos omnes, quam reuocare & reflectere animum ad contrarias his notas, quæ ſunt potiſſimum iſtæ.

In primis. Religio ipſorũ, ſi Religio dicenda ſit, *non eſt vna & Concors*, vt ſupra affatim oſtendimus. *Ipſa doctrina*, eorũ inquit, Tertullia. *cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate, & contrarietate ſuâ, pronunciabit, neque Apoſtoli alicuius auctoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent; ita & Apoſtolici, non contraria Apoſtolis*

De Præſcript.

stolis edidissent, nisi illi, qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.

Secundò, non est *antiqua*, vt nostra Romana, Sed *noua* *Si longa ætas* (inquit Symmachus) *auctoritatem Religionibus faciat, seruanda est tot seculis fides & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt fæliciter suos. Sera & contumeliosa est emendatio senectutis.* Scitum est illud Lactantij: *Tanta est auctoritas vetustatis, vt inquirere in eam, scelus esse dicatur. Itaque creditur ei passim, tanquam cognitæ veritati.* *Ad Valent. Theod. & Arcadium Impp. De Orig. error. lib. 2. cap. 13.*

Tertiò, non est *Catholica*, id est Vniuersalis, vt est Romana, quæ semper & vbique habita & dicta etiam per hæreticos Catholica: Romana enim *Catholica nominatur, non solum à suis*, inquit D. August. *sed etiam ab omnibus inimicis: velint nolint ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam seu Romanam nihil aliud quam Catholicam dicunt; non enim possunt intelligi nisi hoc nomine eam discernant.* Quin, & eius Cultores *Catholici*, qui & olim, & nunc apud Iapones, Chinas, Indos, Persas, Tartaros, Turcas, Afros, Brasilios, Peruanos, Mexicanos, cum veræ istius Religionis exercitio reperiuntur: sunt enim illis in locis templa, altaria, imagines Christi & Sanctorum, Sacrificium missæ & Sacramenta, seruanturque Festa & Ieiunia, Denique in omnibus & per omnia Religio *Romana*, Religiones verò Caluinisticæ aut Lutheranæ, iam inde ab octoginta circiter demum annis, finibus, & quidem angustis, circumscribuntur, seu continentur. Quomodò ergò Religiones istæ Catholicæ dici possent? *De vera Relig. c. 7.*

Quartò, non est *Sancta*, vt est Ecclesia Romana, quæ singulis sæculis semper habuit viros, qui, communi omnium Christianorum confessione, sanctissimi fuere.

Quintò, non est miraculis comprobata, vt *Catholica*

De Præscriptio. aduers. Hæret. *& Romana*, quod vel apud ipsius hostes in confesso est. ergò credibiléne sit perperam sanctisimos illos viros (vt præclarè inquit Tertull.) euangelizasse, *tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.*

Sextò, non conuertit gentes vt facit Catholica & Romana: *Lex enim Domini*, inquit Psalmographus, *immaculata, conuertens animas*; Hæreticorum Ecclesia non conuertit Ethnicos, sed nostros euertit, vt Tertullianus loquitur. De Prascrip. videatur etiam Augustinus. *lib. de Vnitate Ecclesiæ & cap. 16. & lib. de Vtilitate credendi cap. 16.*

Septimo, non habet successionem vt Ecclesia Catholica Romana. Cui enim successit, Lutherus, Caluinus, cæterique Hæresiarchæ? à quo missi sunt? Catholica autem suam habet missionem à Christo; Christus à Deo. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui ipsum audite.* Math. 3. Luc. 9. Math. 16. Christo Petrus successit: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Petro Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens, & sic deinceps vsque ad Vrbanum VIII. modò regnantem. Illi igitur à Christo & Petro missi alios miserunt: *Paulus & Barnabas, Lystram, Iconium, Antiochiam Pisidiæ pertranseuntes, constituerunt per singulas Ecclesias Presbyteros.* Act. 14. & rursum isti alios. Hic ordo, hæc series, hæc successio est prædicationis Euangelicæ. Hunc ordinem seruarunt Apostoli, vt tandem ad Gentes, & nationes Euangelium deferrent. Hinc vocatur vera Ecclesia Christi *Apostolica*, quia ab Apostolis incœpit, quia fundatione, missione, successione talis est. Hæretici autẽ quam

Eccle-

Ecclesiam habent? & vnde? *Edant origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordines Episcoporum suorum*, inquit Tertullianus, *ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris auctorem habuerit & antecessorem.* Eodem argumēto vsi sunt alij Patres: Irenæus, Epiphanius, Optatus, Augustinus, Hieronymus, cuius verba cedro digna merentur audiri: *Breuem tibi apertamque animi mei sententiam proferam: in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed quopiam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarū capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt: cum & Diabolus de scripturis aliqua sit locutus; & scriptura non in legendo consistant, sed in intelligendo. Nouitas itaque est signum Hæreseos ab Apostolo prænuntiata: appellatio signum nouitatis: vsurpatio scripturæ Diabolo, & omnibus hæresibus communis.*

De præscript.

Dialog. contra Lucifer.

Sed & libertas ipsa, licentiaque viuendi vt velis, longè suspectissimas sequiores istas Religiones reddit: id quod ex verbis Tertulliani satis ediscimus: *Negant*, inquit, *Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia, & soluta, Vbi autē Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia adtonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio Religiosa, & apparitio deuota, & processio moderata, & Ecclesia vnita, & Dei omnia. Proinde, hæc apud nos testimonia disciplinæ ad probatio-*

Solutiorem vitam sectantur heretici.

Lib. de Præscript. aduers. hæreses cap. 17.

614

probationem veritatis accedunt: à qua diuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij: quo omnes nos necesse est apud Christi Tribunal astare, reddentes rationem inprimis ipsius fidei. Quid ergò dicent, qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo? Credo allegabunt, nihil vnquam sibi ab illo, vel ab Apostolis eius de sanis & peruersis doctrinis futuris prænunciatum, & de cauendis abominandisque præceptum.

„ Præclara omnia; quibus suppatia scribit R. P. Lessius: „ Tu, inquit, qui aliquam aliam sectatus es Religionem „ quam obsecro facti tui rationem reddere poteris, quando „ in illo tremendo iudicio interrogaberis? Respondebis for- „ tè Iudici: Ideò Catholicam deserui, quia putabam illam „ plenam idololatria, & superstitionibus, & traditionibus „ humanis; putabam in ea præsidere Antichristum, puta- „ bam Catholicos niti suis meritis, non tui sanguinis „ pretio. *Consult. Qua fides sit capessenda, consid. 2.*

„ Sed, quid si tunc detersa fascinatione diabolica, quæ „ iam mentē occupat, videas clarè te deceptum, quid consilij „ capies? non enim erit amplius pœnitentiæ & resipiscentiæ „ locus. An fortè ignorantiam allegabis? At, hæc non ex- „ cusabit: quia facile veritatem cognoscere potuisses, si eam „ diligentiam quam res postulabat, præstitisses, Nec vn- „ quam tibi defuit iusta ratio dubitandi, quæ te ad hoc sti- „ mulare debebat. Sicut ergò Iudæos non excusabit, quod „ per ignorantiam errauerint, quia veritatem cognoscere „ potuerunt; ita nec te excusabit. Vt enim absque flagitio „ posses à Catholica recedere, oportebat non solum putare, „ & ob leues aliquas suspiciones opinari, sed certissimè sci- „ re, & omni affectu seposito exploratissimum habere, illa „ mala Catholicæ Religioni inesse, ita vt nullus amplius in „ animo relinqueretur scrupulus, nulla dubitandi ratio. Tan- tum

„ tum verò abeſt, vt huiuſmodi certitudinem de erroribus
„ Eccleſiæ habueris, vt nulla vel probabilis ratio tibi ſuppe-
„ ditarit.
„ Quâ enim probalitate & ſpecie veritatis in animum in-
„ ducere potuiſti, eam Religionem idololatriæ & tantis er-
„ roribus eſſe obnoxiam. quam videbas à tot ſapientiâ &
„ ſanctitate vitæ Illuſtriſſimis viris, tot annorum centurijs
„ cultam? quam tot miraculis & martyrijs confirmatam?
„ quam toto orbe diffuſam, in qua & ſumma Doctorum cõ-
„ cordia & perpetua ſucceſſio, & clara cum Apoſtolis
„ continuatio & connexio? Quomodò fieri poteſt, vt tot
„ ſæculis, nemo Doctorum, nemo Sanctorum, hanc ido-
„ lolatriam, has ſuperſtitiones, & errores notauerit?
„ Rurſum, quomodo in animum inducere potuiſti, eam
„ eſſe veram Chriſti Religionem, quæ Deum auctorem
„ & impulſorem omniũ ſcelerum ſtatuit? quæ hominibus
„ arbitrij libertatem eripit? ſtudium bonorũ operũ è medio
„ tollit? quæ portam latiſſimam omnibus ſceleribus non
„ minus quam Atheiſmus aperit? quæ ſubditos legibus &
„ obediẽtiæ Principum, ſub ſpecie libertatis Chriſtianæ exi-
„ mit? quæ antiquas & damnatas hæreſes plurimas ab Orco
„ reuocat? cuius auctores nulla vitæ auſteritate, nulla morũ
„ ſanctimoniâ commendati, nullis miraculis clari; ſed homi-
„ nes voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi,
„ ambitioſi, maledici, ſeditioſi, Apoſtaſia, & ſacrilegis
„ nuptijs vel præpoſterâ libidine infames, inconſtantiâ do-
„ ctrinæ incredibili.
„ Denique, ſi aliqua ex his nouitijs Religionibus eſt vera:
„ ergò concidit per tot ſecula Chriſti Eccleſia, euerſum
„ eſt Chriſti regnum, euacuatæ ſunt diuinæ promiſſiones
„ de Eccleſiæ firmitate; præualuerunt aduerſus eam portæ
„ inferorum; ergò tot ſeculis Euangelium fruſtrâ prædica-
tum

„ tum, frustra creditum, frustra tot gentes à paganismo
„ conuersæ, frustra Baptismus & alia Sacramēta administra-
„ ta, frustra suscepta ieiunia & carnis macerationes, frustra
„ obita martyria, & tot millium sanguis pro Christi confes-
„ sione effusus. Ergò perierunt omnes Maiores nostri? pe-
„ rieruntne sancti Patres? perierunt tot martyrum, tot Con-
„ fessorum myriades, tot Deo deuotæ animæ, Sanctitate,
„ miraculis, Prophetiæ spiritu illustres? Taceo breuitatis ergò Antiquitatem quæ sola, pro auctoritate est. *Tanta est vetustatis auctoritas*, inquit Lactantius, *ut inquirere in eam, scelus esse dicatur. Itaque creditur ei passim tanquam cognitæ veritati.* de Orig. error, li. 2. c. 1, 8

Epist. 2 ad Cle. don. Quocircà, liceat iam cum Gregorio Nazianzeno eodē sensu contra Apollinaristas exclamare: *O miram absurditatem! absconditam post Christum Sapientiam nobis annuntiant. Res lacbrymis digna. Si enim 30. his annis fides originem habuit, cum 400. fere anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est, inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra: & martyres quidem frustrà martyrium subierunt, frustra etiam tales tantique antistites populo præfuerunt.* Efficacissimè Sanctus Irenæus, antiquissimus pariter scriptor & martyr contra Valentinianum & Marcionitas: *Non fuit*, inquit, *apud eos Congregatio, neque doctrina aliqua instituta. Ante Valentinum enim, non erant, qui sunt à Valentino: neque ante Marcionem; qui sunt à Marcione*, Dicamus nos: Ante Lutherum qui pestifera sua dogmata spargere cœpit sub annum Christi 1517. non erant qui nunc sunt à Luthero, neque ante Caluinum, qui nunc sunt à Caluino. Lib. 3. cap 4.

Sed dic, sodés, quid aliud inepti isti ac impurissimi, interpolatores, sutores veteramentarij, præstant, nisi quod nouum corium veteri assuunt, antiquas inquam, & fœtidas hæreses renouant? Vis compēdiò ostendam, non *Nouatores hauserūt hæreses suas ex veteribus.*

tam

tam meis quam P. Lessij verbis? itaque in scenam hanc producatur apostata Lutherus, & stigmaticus Caluinus Vterque igitur *tollit Libertatem arbitrij*: at hæresis ista, nunquid ante annos 1300. prodijt ex sutrina Simonis magi & Valentini, ac etiam Manichæorum? Vterque quoque docet Deum *esse impulsorem omnium scelerum & omnia mala fieri ex vi decreti Diuini*. At olim fuit ista hæresis Simonis magi & Florini. 3. Vterque docet, *non esse necessaria ad salutem bona opera, sed sufficere fidem*: at hæc fuit olim hæresis etiam Simonis magi, & Eunomianorũ circa annum Domini 360. 4. Vterque docet, *habenti fidem nihil obesse peccata quantumlibet multa & magna; horum enim malitiam non imputari credenti*, quæ Hæresis olim fuit Eunomianornm, Basilidis, & Carpocratis 5. Caluinus negat *præsentiam realem corporis Christi in Eucharistiâ*. At olim hæc fuit hæresis Berengarij circa annum Domini 1051. Quæ hæresis, fuit ipso viuo in quinque Concilijs damnata cum suo auctore Berengario, qui ter suam sententiam abiurauit, & tandem in fide Catholicâ mortuus cum magnâ pœnitentiâ, quo mortuo extincta fuit illa hæresis ferè per ducentos annos, vsque ad Lollardos, qui eam renouarunt, vt colligitur ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1315. Eandem postea tenuit Wiclef, quo tandem mortuo, exstincta iterum fuit per annos circiter 100. vsque dum Zuuinglius eam restituit, quem impostor Caluinus & aliquot alij sunt secuti. 6. Vterque *tollit omnes traditiones & solis scripturis omnia vult contineri*. Eadem fuit hæresis Arianorum, Nestorij, Dioscori, & Eutijchetis, 7. Vterque *negat Sacramentum Pœnitentiæ & Confirmationis*, eandem hæresin olim docuêre Nouatiani. Omitto breuitatis causâ alia deterrima vtriusque dogmata, quæ idem R. P. Lessius deprompta esse ex antiquorum Heræsiarcharum officinâ, testimo-

Opusc. Quæ fides sit. seruanda.

nijs classicorum auctorum omnique exceptione maiorum comprobat.

Apagè ergo te Hæretice impie, & funambule Religionis Orthodoxæ. Ad illam redire propera cum Berengario & alijs sexcentis huius & alterius æui, ni velis æuis sustinere pœnas. *Qui nouit Deum*, inquit S. Ioannes, *audit nos. qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* At Spiritum Veritatis habere te dicis; falleris: tum quia non sequeris Ioannem, Petrum, Apostolos omnes, horũque cõtinuâ serie successores; tum quia Spiritus sanctus vnus est, non contraria vel diuersa docens, quod vos facitis. Itaque spiritus potius erroris est: attestante Apostolo: *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendẽtes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum*; alias enim doctrinas vindicare vobis non potestis. Vnde enim vestra origo? quis hanc fidem, quam profitemini (vtor sententiâ & verbis D. Io. Barclay) per manus tradidit vobis? quis eam ab Apostolis accepit? quis acceptam continuauit? Non erimus iniqui Censores: non ad viuum omnia exigemus. Date aliquas antiquorum historias, aut si scriptas traditiones non habetis, alias date. Quam indignum, Sectarij, nec imaginario quidem iure vos niti? Iterum in os dicam: Si vel vnum singulis ætatibus fuisse monstretis, qui vestram fidem coluerit; non quæram, pius erit, nec ne; eruditus, an scientiæ expers; nec cum illo, nec vobiscum disputabo, sed quod ad me est, totâ causâ viceritis; nos tunc Hæretici, nos pleni mendaciorum; vos à Deo eruditi, vos veri cultores. Sed ô pudendam rem! destitui partes vestras tantillo monumento, tantillo successionis vestigio! Et quos tandem sani ingenij viros hæc ratio diligenter expensa, ab vestræ hæresis cæno non eruat?

Diceti sne in occulto rem fuisse; tunc regnasse Antichristum,

Epist. 1.

Solutio obiectionis hæreticorum.

1. Tim. 4.

Doctrinã suam acceptã ferunt Hæretici à doctrinis Dæmoniorum.

L. 1. Paran. c. 6.

Absurditas sectariorũ. christum, tunc tenebris mersum orbem: nec defuisse tunc fideles, sed non ausos aperire, quid vellent, aut sentirent? Quid hoc monstri? abstrusa, latens, ignota Ecclesia? Non sic visum Augustino: *Nulla est securitas Vnionis nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ supra montem, vt dictum est, constituta abscondi non potest.* Sed esto, latuerit tunc lux mundi; latuerint illi vestri fideles: At, quam multum latuêre? Si adeò in occulto fuerũt vt nullam sui memoriam, nullum monimentum reliquerint, quónam modo vobis innotuêre? quo referēte id scitis, quod nemo retulit? quod nemo cognoscit? &c. *Lib. 3. contra epist. Parmen. cap. 5.*

Plures huius argumenti considerationes breuitatis causâ transcurrimus, quas qui volet petat etiã ex eiusdem P. Lessij opusculo, vbi ostendit reijciendas esse omnes hæreses, tum à nouitate, tum ex defectu successionis, tum ex defectu missionis, tum ex defectu miraculorum, tum propter errores & inconstantiam doctrinæ, tum ex dolo malo & fraudibus, quibus vtuntur; tum denique ex vitâ & morum conditione dissolutissimâ & perditissimâ, vti videre est in Luthero qui gloriatur se sæpius communicasse cum Dæmone, à quo etiam dicit se sollicitatum, vt scriberet contra Sacrificium missæ, sibique fuisse ab illo subministrata validissima argumenta, quæ idem impurus spiritus olim suggesserat Berengario hæretico, quem secuti sunt Zuinglius, Bucerus, Carolostadius. probra illa Christianorum, Christum Dominum deserentium, vt Diabolum Christiani nominis hostem sequerentur. De Caluino autem, præterquã quod eodem Doctore vsus sit, quis nesciat illum dissolutissimæ vitæ fuisse? qui ob infandum crimen, teste Bolseco, exuri Nouioduni debuisset, nisi ad preces Episcopi pœna ignis cõmutata fuisset, in ferri candentis in tergo vstulationem, Meritò.

Tract. Qua fides sit capess.

Lutheri doctrina à Diabolo.

Tract. de Missa.

Vide Baron. an. Christi 1028 Serariũ in opusculo de magistro Caluini.

Dissolutissima Caluini vita.

624.

Ausonius.

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus
Repperit obscœnas veneres vitiosa libido.

Sed Bollecij medici secretorũ Caluini optimè conscij (qui eius vitã ante quadraginta circiter annos scripsit in gratiã Caluinistarum) verba merẽtur inseri: Nihil iam de natiuitate dicam, quæ in annum 1509. incidit, quo Nouioduni Picardiæ in lucẽ editus est, neque etiam commemorabo de Patre eius Gerardo Cauuino aliud, nisi impium hominem fuisse, & in Deum maximè Blasphemum: quod de illo testimonium præcipui aliquot ciues Nouiodunenses interrogati perhibuerunt, Notariusque legalis in publicas tabulas retulit, quarum exemplum cuidam Bartelier Dominij Senatusque Geneuensis Secretario, Nouiodunum huiusce rei gratiâ, vt in vitam atque mores Caluini inquireret, & qualis adolescens fuisset exploraret, præcipuè misso, est impertitus. Quod ergò testimonium publicum apud hunc vidi, & in ipsiusmet manibus inspexi; & idcircò vt rem verissimam commemorare possum. In quo quidem testimonio hoc quoque erat adiectum: Caluinum, cum Curatum illic beneficium & aliud Sacelli cuiusdam sacerdotium obtineret, Sodomitici sceleris conuictum, in vitæ discrimen venisse, vt igni, quæ huiusmodi sceleris ordinariâ & legitima pœna est, cremaretur. Cæterùm, Episcopi Vrbis commiseratione pœnam moderatam, vt cauterio candens eius humero lilium inureretur, Quo probro confusus, neque talem ignominiam ferens, vtrumque Ecclesiasticum beneficium in Pastorem Nouiodunensem transtulit, & ab eo certa pecuniæ summa accepta in Germaniam, deinde in Italiam profectus est, fortunæ, si quam sibi propitiam inuenire posset, se permittens. Cæterùm silentio præterire nolo Nouioduno discedentem cognomine immutato, Caluinum pro Cauuino vocitasse, siue impru-

» imprudentem, siue consultò quod hoc nomen mori-
» bus eius conueniret. Quibus malignum illum & vindictæ
» cupidissimum Caluinum expressit, cui Iuuenalis, cum
» Satyram 13. scriberet, hunc versum videtur attribuisse:
» *At vindicta bonum quo non fœlicius vllum.*
» Sed fuit etiam cum se Carolum de Happe oppido appellaret, & in omnibus litteris subscriberet. Hæc ille. Tandem miserè obijt Hæresiarcha impurissimus Nouioduni Cal. Iunij anno post Christum natum 1564. cum septennium integrum varijs morbis & cruciatibus quassatus & afflictus esset, anno suæ ætatis 56. vt refert R. D. Io. Chapeaville quondã Canonicus & Vicarius Leodieñ in Annal. Pontif. Leodieñ tom. 3. pag. 411.

Verùm, quod dictum est de crimine illo pessimo, nullus est adusque scriptorum, qui id reuocauerit in dubium: & si verum illud non fuisset, cur discipuli Caluini non refutarunt? Cur inspectionem actorum publicorum & Magistratuum testimonia non petierunt? facilè enim si falsa erant, refutari tunc temporis potuissent. At, cum Bolseco eadem scribunt Iulius Brigerus in floribus Caluinistarum, Thomas Stapletonius Anglus, S. Theologiæ Professor Louanij, Edmundus Campianus præclarus martyr, Ioannes Durçus Scotus, Surius ad annum Christi 1558, Guilhelmus Reginaldus olim hæreticus postea autem ad fidem Catholicam conuersus; denique Florimundus de Ræmond Præses Burdigalensis lib. 7. de ortu Hæresis cap. 9. & alij complures, quos recensere nolo: quia *vituperare res male affectas, & longius in errorem progressas minimè iucundum: licet interdum sit necessarium*, vt Plato inquiebat. 2. de Leg.
Progrediamur iam ad aliam hæresis Notam, scilicet Rebellionem.

626

CAP. V.

Hæreticos, Pincipibus insidiari & aduersarios esse: audaces, sibi placentes, arrogantes, &c. Exempla de his distincta, etiam recentissima.

PErstrinximus superiori Capite inter alias S. Romanæ Ecclesiæ Notas (quas omnes non explico, ne quod ab alijs actum agam, nec etiam fuit instituti mei) esse Vnitatem, quam sibi vindicare non posse hæreticos & sectatores ibi ostendimus: modò autem tam argumentis quam exemplis palam faciemus, præcipuam hæreticorum Notã, esse Rebellionem, illudque Iudæ Apostoli & Diui Petri propriè ipsis conuenire: *Dominationem spernunt*: id est iuxta communem & saniorem omnium Doctorum scholã, quam sequitur post antiquos & recentiores Patres, Cornelius à Lapide: Magistratum, tam Ecclesiasticum, quam Ciuilem. Dicunt enim se per Christi legem factos esse liberos & nulli Principi aut Magistratui esse subiectos, aut vt vult Ioannes Wiclef, & Ioannes Hus Patrum nostrę ætatis sectarij, *Nullus est Dominus, nullus est Prælatus in statu peccati mortalis.* quem articulum cum alijs multis, à Concilio Constantiensi meritò legimus esse damnatum: & pluribus ante illud sęculis per Irenæum. *Hi sunt*, inquit, *qui exurgunt contra veritatem & aduersus Ecclesiam Dei.* Ab eadem mente Cyprianus: *Non aliundè*, inquit, *hæreses obortæ sunt, vel natæ schismata, quam inde quod Sacerdoti non obtemperatur.* Causam dat S. Petrus, Quia *sunt audaces, sibi placentes*, sed notate insignem illam dotem *Audaces*: quid enim non audeant, qui Deum hominesque, qui ipsius vices in terris gerunt, contemnunt? *Pessimus quisque*, inquit ille, *asperrimè rectorem patitur.*

In sua Epist. Canon. Epist. 2. c. 2.

Ad D. Epist.

Lib. 1. cap. 1.

Epist. 2. cap.

Sallust. Cæsar.

Et

Et istā: *sibi placentes*. S. Hierony. interpretatur *procaces*, Cathar. *proternos*, Gaignæus, *pertinaces*, Clarius, *impudentes*, Vatabl. *sui sensus & capitis*. Paguin, *contumaces*, alij *intractabiles*, *insolentes*, *arrogantes*, *calumniatores*, *aliorum contemptores*. Doceamus exemplis. Arius contempto Episcopo suo Alexandro ad eam superbiam prouectus est, *vt nullos ex veteribus Ecclesiæ Pastoribus secum conferendos existimaret*; Nestorius, *expedita linguæ volubilitate elatus, animum ad veterum scripta non intendit, sed seipsum omnium præstantiorem esse dixit*; Aetius, Clementem Africanum, Originem, viros omni doctrinæ & sapientiæ genere excellentes prorsus reiecit: Eiusdem vox erat: *Se Deum non minus, quam semetipsum cognoscere*. Manichæus se *Apostolum Christi* nominauit, & de creatione primorum parentum disputaturus, *vt*, inquit, *veritas istius rei sese habet, ab vniuersis fere gentibus ignoratur, & ab omnibus qui etiam diu multumque disputauerunt*. Hæc ille apud Augustinum. Denique de omnibus hæreticis hoc notat Irenæus: *Qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam Sanctorum præsbyterûm arguūt*. Et iterum: *Vnusquisque fictionem quam à semetipso adinuenit, illam esse sapientiam dicit, seque indubitatè & incontaminatè & sincerè absconditum scire mysterium*. Et rursum de cuiusdam Marci discipulis, ait: *Perfectos semetipsos vocabant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quendam Apostolorum*. Notauit hoc etiam eleganter Vincentius Lyrenensis, his verbis: *Quid est quod Apostolus de oppositione falsi nominis scientiæ dicit, quam quidam promittentes exciderunt à fide, nisi prauam nescio quam ignoratamque doctrinam?* Elchæsæi librum quendam componebant, quem dicebāt descendisse de cœlo, teste Theodoreto. Sic nuper Lutherus in libro cōtra Regem Angliæ,

Lib. 1. contra Iouinia.

Niceph. lib. 14, c. 32.

Socr. lib. 2. c. 28. Hist Ecclis.

Theo. har. fab. lib. 4.

Lib. 5. cap. 12.

Lib. 1. cap. 2.

Lib. 2.

Certus

In prop. Cathol. Dom. 7. post pēt.

Certus sum, me mea dogmata habere de cœlo. Et ille passus repulsam in promulgatione Indulgentiarum prælato illi Ioanne Tetzelio Dominicano, cœpit contra Ecclesiam insanire, vt memorat Thomas Stapletonus. idem sub annū 1521. ius Canonicum exussit, quasi omni metu iudiciorū liber esset, si membrana exussisset.

Insignitus superbia Lutheri.

Sed audiamus quid de se ipse scribat Lutherus ad Ducē Georgium: *A tempore Apostolorum*, inquit, *nullus Doctor aut scriptor, nullus Theologus, aut Iurisconsultus tam insigniter, & clarè conscientias sæcularium confirmauit, instruxit, ac consolatus est, sicut ego feci. Per singularem Dei gratiam hoc certo scio, quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius, qui tamē in hac re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt.* ô cucullam helleboro dignam! Sed & alibi: *Scire*, inquit, *debetis, quod ab initio mundi rara admodum auis est Princeps prudens, adhuc multo rarior Princeps probus: sunt communiter maximè fatui ac pessimi nebulones super terram, & ipsi sunt lictores & carnifices Dei.* & rursum: *Turca*, inquit, *decies prudentior est, & probior Principibus nostris:* & iterum, vocat eos tyrannos & Euangelij persequutores, imò bestias, idest animalia fera, vt sunt lupi, apri, vrsi, leones. Idem Episcopos vocat *laruas diaboli*, additque, *Quicumque ferunt opem, corpus, & famam in hoc impendunt, vt Episcopatus deuastentur & Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti filij Dei, & veri Christiani, obseruantes præcepta Dei, & repugnantes ordinationibus Diaboli: aut si hoc non possunt, illud saltem contemnant; Contra verò qui manutenent Episcoporum regimen, eisque obediunt, hi sunt ministri Diaboli.* Ac Erasmus ipse in quadam epistola, sui temporis sectarios tam insolenti fuisse inobedientia scribit, vt etiam apertè dicere non vererentur, malle se Turcæ non baptisato, quam Turcæ baptisato (hoc nomine Carolum V. Imp. Principem suum

Lib. de potest. seculari.

Sed & impietas erga Principes.

Præfat. contra duo Cæsaris mādata.

Lib. in Rusticos.

In Bulla contra ordinem Ecclesiast.

optimum appellantes,) parêre.

Impietas Caluini erga Princi-pes. Quid Caluinus? Pari insaniæ Oestro incitatus hæc dicit: *Hodie vt ferè Reges omnes fatui sunt & bruti, ita etiam sunt quasi equi & asini brutorum animalium*: additque: *si Reges & Principes nolint Deo parere, & suã sequi Religionem subditis solutos esse legi obedientiæ, ipsisque licitum in illos insurgere.* *In c. 5. Daniel.*

Hæc fuit quoque doctrina Wicleffij, qui pestiferũ suum dogma Orbi communicauit circa annum Christi 1370. damnatum cum auctore à Consilio Constantiensi.

Ecce ergò quam verè conueniat Euangelicis istis Reformatoribus illud Iudæ Apostoli, *Dominationem spernunt*, Contemnunt enim Principes tam Ecclesiasticos quam seculares, qui in Ecclesia vel Republica dominantur, vnde S. Hieronymus legit in plurali: *Dominationes despiciunt*, eodemque modo legunt Biblia Regia & Complut. *Liber cont. Iouinianũ.*

Nec sunt contenti spargere in vulgus fanaticam hanc doctrinam suam, verumetiam factis ipsis comprobant, & repræsentãt, dum Catholicorum bona, atque adeò templa ipsa expilant, diripiuntque, quemadmodum ex infrascriptis exemplis apparet.

Quorum initiũ sumamus ab Ecclesiasticis in Anglia, nunquid non distributæ possessiones Ecclesiæ tempore Henrici VIII. inter Nobiles? planè. Episcopatus enim tristi auaritia discissi, direpta funditus & priuatis vsibus attributa Monasteria; Prioratus, Eremiticæ domus. Quid Archiepiscopatus Cantuariensis? Quid Episcopatus Wintoniensis? quid Eliensis? Vmbræ, si pristinas opes spectes. Quid Abbatia Westmonasteriensis, Regum sepulchris destinata? Iam vbi in Scotia, in Batauijs, in Dania, in Sueuia illa bona? Rapta vt plurimum, & à Clericis in Laicos translata. Atqui, hæc Deo donata sciebatis. Si Diuino pe-

culio (vt nugamini) abutebantur, & vos charitas Dei agebat, decuit castigare vtentium mores, non auferre à Deo peculium, decuit melioris instituti viros (auctoritatem præstante S. Pontifice) & diligentioris in Deum cultus substituere, non etiam in profanos vsus conuertere.

Si Seculares potestates, Principes, ac Reges attendamus: videbimus, non tam bonis, quam personis ipsorum insidiatum.

Haretici Monarchomachi. Ecce, Geneuæ anno 1560. habitum est consilium de Rege Francorum, Regina vxore, Regina matre, eius liberis, Proceribus & Catholicis Magistratibus ad certum diem trucidandis, Beza Principe, Caluino auctore, Ottomanno subsignatore, Episanno Suasore, omnibus Galliæ prædonibus & lanistis conscijs: huius consilij & conspirationis inuenta est impressa epistola Caluini ad Viretum Lausannæ, vt narrat Bolsecus in vita Caluini. *Cap. 1.*

Sleidan lib. 17. *Haretici rebelles Cæsari.* Quid Principes protestantes Germaniæ? præter bella quæ suscitarunt contra Catholicos, negarunt cognomen Majestatis Augustæ competere Cæsari, quasi verò vbi auctoritatis nomen ademeris, tunc pugnare contra Magistratum liceat. eodemque tēpore Regem Galliæ in Cæsarem concitabant, vt & Heluetios; sed à Gallo elusi ab Heluetijs reiecti sunt. Ita coacti sunt huius sceleris veniam deprecari Vlrichus Wirtēburgicus, Fredericus Palatinus, Landgrauius; tandem Vlmenses, Memmingenses, Bribracenses, Rauesburgij Campodunenses, Isnenses, Argentinenses, & alij quos recenset R. P. Contzen, sed illi obliti clementiæ Cæsaris ad rebellionem suo grandi malo, coniuncto cum pessimo publico, rediêre. *Idem lib. 18.* *Lib. 9. Polit.*

Vid. D. Chapauill- in vita Ernesti. Quid memorem insidias per hæreticos structas inclytæ famæ & memoriæ Ernesto Bauaro Episcopo Leodiēsi & postea Archiepiscopo & Principi Electori Coloniensi,

bello

Haretici insidias moliuntur Sereniss. Principi Ernesto.

bello illo aduersus Truchsesium? quem, Apostatam dum persequitur Ernestus, auitæ Religionis defensor acerrimus, hæretici ipsius potentiam veriti, insidias illi struere, adeò vt cum secundo Rheno vulgari Pontone veheretur, seque minus notum existimaret, maioribus bombardis & sclopetis ex ripa impetitus hæreticorũ fraudes senserit, quibus exceptus fuisset nisi diuina Prouidentia hæresibus, operâ Ernesti Bauari, occurrere decreuisset.

Plerique Principes Germania Protestantes, diuidũt, sed in antecessum, Ecclesi. bona in Germania.

Contemplemur recentiora: Nunquid non nuper Comes Palatinus, & nonnulli Principes Germaniæ, ambitione, dicamne odio religionis perciti; superioribus annis inter se, sed in antecessum, partiebantur, Præsulum, Prælatorum, Sacerdotum, Religiosorum denique bona? Deliberatur, cõsultatur, omnes animi & corporis nerui huc extendũtur. Itaq; Palatino obuenire debebat Epicopatus Spirensis, & maxima pars Archiepiscopatus Moguntinẽsis reliqua manente penes Principem d'Anhalt, cum Episcopatu Bambergensi: Marchioni d'Onoltzbach Episcopatus Herbipolensis: exin, in Alsatiam oculos conijciunt, & Episcopatum Argentoratensem, pulso Serenissimo Leopoldo, diuidebant inter N. & N. Treuirensem alteri, diuersis alijs alia, quâ secularium, quâ Regularium Collegia: Hæccine ratio reformandæ religionis? Meliori sensu pij ac religiosi Cæsares Leo & Anthemius in præclara illa constitutione testantur, *vt sicut ipsa Ecclesia religionis & fidei mater est: ita cupere vt eius patrimonium iugiter maneat illæsum.* Verùm, lauernionibus surdis canimus fabulam. *in l. 14. C. de Sacros. Eccles.*

Ecce, videtis, in omnibus & per omnia conuenire hæretecis illud Apostoli: *Dominationem spernunt.*

Consideremus reliqua. Indigitantur *procaces, audaces, calumniatores.* De his Paulus Apostolus: *Erunt homines seipsos amantes, elati, superbi &c. habentes speciem pietatis, vir-* *2. Tim. 3.*

tutem autem eius abnegantes; id eſt Euangelium in ore, charitatem in linguâ, ſed odium Eccleſiæ in corde; ſacrilegia in opere, ſuperbiam in pectore. Et rurſum: *Non Domino, ſed ventri ſuo ſeruientes, per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium*: & quidem per prauam & fraudulentam ſcripturarum interpretationem, vt lib. de Præſcript. & aduerſus Marcionem oſtendit Tertullia. Vnde B. Petrus Apoſt. cum dixiſſet, *indoctos & inſtabiles* (quales ſunt Hæretici) *deprauaſſe quædam in Epiſtolis Pauli*, addit generalem clauſulam: *Sicut & cæteras ſcripturas ad ſuam perditionem*, ſed & proch dolor, aliorum. Quid ita? quia omnes tument ſuperbiâ, & fallacijs, omnes ſcientiam profitentur, vt inquit Tertull. ſed quæ non eſt ex Deo. Scribit doctiſſimus P. Leſſius ex Ioanne Cochleo in actis Lutheri ſub annum 1523. à quodã notata ex vno Lutheri libello mendacia quinquaginta. Eundem Lutherum à Domino Ioanne Dietenbergio in duabus duntaxat confutationibus conuictum fuiſſe de mendacijs octingentis ſeptuaginta quatuor. Idem ſcribit Surius ad initium anni 1523. Si tot mendacia in libris vſque ad illud tempus editis à figulo mendaciorum Diabolo conficta, quid cenſendum de cæteris, quos vſque ad annum 1546. pari ſcilicet fide conſcripſit? Plurima quoque ac aperitiſſima in ſcriptis Caluini, Bezæ, Melanthonis, & aliorum reperias.

Hæreticos deprauant ſcripturas impleent.

De præſcript.

Diſput. 8. de Antichriſti præcurſoribus.

CAP. VI.

Oſtenditur Hæreticos eſſe Calumniatores, mendaces, doloſos.

SVperiori capite exemplis & teſtimonijs palam fecimus Hæreticos Principibus eſſe Rebelles: Audaces, ſibi placentes, arrogantes. Iam proprio iſto capite oſtendemus ipſos eſſe inſignes Calũniatores & fallaces, quod item rationibus, & exemplis liquidò probabimus. Quæ maior calumnia

lumnia pari cũ impudentia iuncta quam Principibus illudere? quam confingere & cõminisci, præscripto ipsorum nomine, falsissima edicta? viris inculpatæ vitæ falsa crimina intendere? Non Orthodoxos testabor, quos minores fortassis exceptione iudicabunt hæritici, sed ipsos laudabo Lutherum & Caluinum: quorum ille scribit mundum ex sua noua doctrina quotidiè reddi deteriorem: *iam homines* (inquit) *sunt auariores, callidiores, crudeliores, iniustiores, proteruiores, multo denique deteriores quam prius in Papatu fuerant.* Alter verò in hunc modum: *In exiguo illorum numero* (inquit) *qui sese ab idolatrijs Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidia & dolis. Præclarum quidem zelum simulant; si tamen intus excutias, reperias plenos esse fraudibus.* Ita Apostoli isti sectariorum, quasi ex oraculo Apollinis certiloquium istud deprõpsisse videntur. Quippè propria Sectariorũ opera sunt dolis magis, ac fraudibus, quam veritate & pietate niti. Nam simulatque Catholicam fidem exuerunt, omnem cum ea humanitatẽ, & quod proprium est hominis, rationem, pariter abijciunt, superinduentes cum impietate sæuitiã & fraudẽ, præ se ferentes imagines eius, cuius afflãtur spiritu, & ex quo geniti esse noscuntur, dicente de eorum Consortibus Domino: *Vos ex patre diabolo estis & opera eius facitis, qui fuit homicida ab initio, semper aduersus Ecclesiam bellum gerens.*

Cap. 11. Daniel vers. 34.

Concio 2 Domin. Aduen.

Ioan. 8.

Exẽplis ostẽdunt Hæreticos esse Calumniatores

Verùm, planum faciamus ista exemplis omnis æui. Ecce, apud Victorem Vticensem Episcopum in Vandalicæ persecutionis historiâ legimus, *Vãdalos* illos *Arianos* „ correptis Sanctimonialibus & sacris ordinibus omnibus „ in vnum congregatis virginibus, postquam eas cremantes „ graui suspendio atque ingentia pondera pedibus colligan„ tes, laminas ferri ignitas dorso, ventri, mammillis, & la„ teribus apposuissent, inter tormenta illis dixisse; Dicite,

Lib. 3. Persecut. Vand.

quo-

1134

„ quomodo Episcopi & Clerici vestri vobis concumbunt.
„ Quæ tamen, quum fierent nihil inuestigari potuit, vnde
„ Christi Ecclesiæ integritas macularetur. Hanc crudelitatē & sycophantiam ab Ethnicis sub Maximno Imperatore didicerant, vti videre est apud Nicephorum. *Ita Victor.*

Hist. Ecclesi. l. 7. cap. 20. Similiter, inter cæteras calumnias quas *Athanasio* maximo & potentissimo Arianorum Antagonistæ grauissimas machinabantur *Ariani*, etiam hæc vna erat: Mu-
„ lierem à se muneribus corruptam, vt suam cum ipsa libidi-
„ nem expleret: noctuque præterea inuitam compressisse.
„ Sed vbi mulier coram Episcopis Arianis in iudicium voca-
„ tis hæc obijceret, *Timothæus* præsbyter Alexandrinus,
„ qui adstabat Athanasio, (sic enim inter eos clam conue-
„ nerat) ita affatur mulierem: Egone, inquit, te per vim
„ compressi? Tum illa, annon tu quæso? inquit. tempusque
„ & locum, in quo compressa fuerat, ostendit, sed rei veri-
„ tate comperta ridicula calumnia sibilo elusa fuit. *Ita refe-*
„ *rente Baronio*

Consimiles olim à *Nouatio* & *Nouato* aduersus *Corneliū Papam* excogitatæ sunt calumniæ, atque vbique per Vr-
Epist. 52 bem & orbem publicatæ; verùm, quomodo Cyprianus illis respondeat, ad Antonianum scribentem audiamus:
„ Quod autem quædam de illo inhonesta & maligna iactā-
„ tur, nolo mireris, cum scias hoc opus semper esse Diaboli,
„ vt seruos Dei mendacio laceret & opinionibus falsis glo-
„ riosum nomen infamet, vt qui conscientiæ suæ luce cla-
„ rescunt, alienis rumoribus sordidentur. *Ita ille.*

Parili calumniâ exagitatus olim sub Seuero Imperatore à tribus calumniatoribus fuit *S. Narcissus*, quem de incōtinentia falsò similiter accusarūt Hæretici, ac vt fidem dictis
Baron. sub an. Christi 186. adstruerent, mēdaciaque speciosiora redderēt iureiurando illa confirmarunt (inquit Card. Baron:) primusque sic
„ deierare cœpit, si non verè dixerim, opto vt ignis incendio

miserè

„ miserè disperearn. Secundus, si non verè dixerim, opto vt „ sæuo & fœdo morbo corpus meum absumatur. Tertius „ sic: Si non verè dixerim, opto vt luminibus penitus orba- „ tus sim, Quid inde? Ecce, diuinæ Iustitiæ vltio non passa „ fuit Calumniatores hos inultos remanere. Primus igitur „ illorum, scintilla perexigua noctu in ædes quibus ipse ha- „ bitabat, ex nulla causa antegressa subitò ruente, miserè „ cum tota familia suaque stirpe rapido flammarum ardore „ omninò conflagrauit: alterius corpus, eodē morbo quem „ sibi tanquam mulctam fore imprecatus esset, ab extremis „ pedum digitis ad caput vsque infectum; contabuit. Ter- „ tius, ærumnosos priorum euentus conspiciens, & Dei „ qui omnia intuetur, ineuitabilem vltionem admodum re- „ formidans, palam inter omnes maleficia communiter à se „ suisque socijs per fraudem contra Narcissum admissa con- „ fessus est, sed tamen dum pro delicto grauissimè condo- „ lesceret, tantus tamque acerbis lamentis sese afflictauit, & „ eo vsque lachrymas effundere non destitit, donec vtrum- „ que oculum sibi penitus extinxisset: atque ita isti pro ea „ criminatione falsò contra Narcissum conficta pœnas istas „ vltore Deo persoluerunt. *Ita ille.*

Nec absimiles calumnias refert S. Hieronymus cum agit de exilio *Euthatij*, in quod exilium iniustè relegatus ab Eusebianis per speciem vsus carnalis cum muliere quæ falsò asserebat se prolem ex illius compressu suscepisse. „ *Ista*, inquit, *machinæ hæreticorum idest Magistrorum tuorū*, „ *sunt, vt conuicti de perfidia ad maledicta se conferant.* Mere- „ trix autem illa quæ calumniam Sancto Episcopo struxe- „ rat in morbum grauissimum, teste Theodoreto, maxime- „ que diuturnum delapsa, insidias atque adeò tragediam Eu- „ sebianæ factionis aperuit, seque mercede conductam ab „ hæreticis vt illud falsum crimen eidem Eusebio intende- ret

Lib. 2. aduersus Ruffinium.

Lib. 2. c. 22. v. Baron. sub an. 240. to. 3. annal.

634

ret licet non falso iusiurando se obstrinxisset, ex quo ipsa quendam Eustathium fabrum ærarium pueri patrem fuisse agnosceret.

Consimilem prorsus calumniam tempore etiam Arrianorum non effugit *Euphrates* Episcopus tunc Agrippinēsis, teste Athanasio, qui & ipse alijs rursum calumnijs ab Arrianis impetitus fuit, nimirum quod vocatus à Constātio Imperatore Arriano ad eum accedere contempsisset, sed quam veteratoriè & calumniosè istę ab illis fuerint excogitatæ fallaciæ & permulta mendacia, ipsemet Athanasius apertissimâ luce demonstrat, imò ipsorummet confessione sæpe testata.

v. Card. Baron. sub an. Christi 348.

Apolog. ad Constātium cuius meminit Baron.

Denique, quantis calumnijs alij multi Sancti Episcopi à veritatis hostibus vexati fuerint, veluti Methodius, Dunstanus, Chrysostomus, Panysius, Brixius, videat lector in eorum vita.

Veniamus ad viciniora secula.

Ioan. Barcl. lib. 1. c. 3.

In rebus gestis magni *S. Francisci* legitur Iudaicæ perfidiæ virum, voluisse Francisco inuidiam mouere. Statuisse igitur media concione ostentare carnium frustum, mentirique eo cibo Franciscum ieiunij die vesci, sed has carnes orante Francisco ne scādalo locus esset in piscium speciē & naturam deflexisse. Quid & hic Sectarij quidam? Aiunt, ita nos referre historiam, vt Frācisc9 his carnibus vere sit vsus; illiusque peccatum hac carnium in pisces Metamorphosi tectum. Ita leuia, ita seria fingunt, versant, vt per omnia crescat in nos contemptus, ac odium.

Anno Christi 175. v. Euseb. lib. 4. in fi.

Fallacia quoque, ac potius falsitas in *S. Dionysio* Corinthiorum Episcopo apud Card. Baron. detegitur, dum ipsius epistolas deprauare conantur, de quo idem Dionysius queritur his verbis: *Epistolas rogatu quorundam fratrum, qui me ad scribendum compellunt, conscripsi: atque eas Ministri*

Diaboli

Diaboli Zizanijs referserunt: nam quædam pro suo arbitratu exemerunt, alia adiecerunt, quibus Væ in extremum iudicium repositum est. Nec mirum certè, si quidam Dominicas scripturas deditâ operâ deprauare aggressi sunt, cum has meas, quæ non sunt eius generis, adulterare præsumpserint.

Ita versipelles, fallacesque hæretici, *Gelasio* Papæ scripta adulterina supposuerunt, teste Cassiodoro: *In Epistolas* inquit, *tredecim S. Pauli Annotationes conscriptas in ipso initio meæ lectionis inueni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, vt eas à S. Gelasio Papa doctissimi viri studio, dicerent fuisse conscriptas: quod solent facere qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere. Sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse ac breuissimas dictiones, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata.*

De Diuin. lect. cap. 5.

Hæretici Calũniã excogitant in Vicariũ Leodien.

Quibus verbis nihil potest excogitari accõmodatius ad calumniam & falsitatem, quæ sequitur, sed magis sathanicam, quam fanaticam. Paucis abhinc mensibus, ego ceu Vicarius (quamquàm impatibus meritis) Serenissimi Episcopi Principis Leodiensis, libellum, cui titulus, *Abregé de la voye de salut*, approbaram, cumque à Catholico pro captu vulgi compositum; quem dum ægris oculis conspiciunt Ministri hæretici (nempe cuius lectione nutantes in fide Orthodoxa cõfirmari potuissent) nescio quâ Byzenâ & stultâ temeritate calumniam excogitãt ipsâ calumniâ nequiorem. Sumunt ergò libellum illum, commentantur, putidis suis hæresibus farciunt, denuò typis excudunt, & tandem (quæ vltima improbatis linea) RR. PP. Societatis Iesu Oppidi Traiectensis adscribunt, quasi ipsi Annotationum istarum (hæresibus vt dictum, est plenarum) auctores essent; quas etiam mihi ab illis dedicari affinxerunt; quin & meam approbationẽ huic libro, deterrimis

istis Annotationibus adauctas inseruerunt: atque ita vtrisque summam irrogarunt iniuriam; Patribus, qui vltimam effunderēt sanguinis guttam (vt hactenus in nonnullis locis) pro tuendâ fide Catholicâ; mihi, qui parētibus Catholicis & Patricijs huiusce Ciuitatis natus, hæreses, hæresumque sectatores nō dissimulanter hactenus insectatus sum. Vides lector, subdolas artes, obtectas fraudes velata cōmenta, simulata studia, cōficta q; opera hæreticorū, quib⁹ intelligas eos militare sub eo duce, qui pater est mēdacij appellatus. Verùm, *hoc habēt hæretici propriū*, inquit S. Gregorius,
Lib. 5. in Iob. Cap. 10. *vt malis bona permisceant, quatenus facilè sensui audientis illudant. Si enim semper praua dicerent, citius in sua prauitate cogniti, quod vellent minime persuaderēt: rursum, si semper recta sentirent, profectò hæretici non fuissent, sed dum fallendi arte, ad vtraque deseruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abscondunt: sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit, dumque hoc quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum, indubitanter absorbetur.* Hæreticorum propriū eodem sensu S. Hieronymus: *Venena non dantur nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraque virtutum.*
Epist. 7. ad Latā

CAP. VII.

Hæretici adeò proiecta fuêre malitiæ, & impudētiæ, vt ipsimet Serenissimo Episcopo Principi FERDINANDO *Vtriusque Bauariæ Duci, Principi Electori Coloniensi insultarint, sed & Religiosis præcipuæ notæ, & doctrinæ suæ Diocesis.*

PArum Ministro fuisset me vellicasse, & lancinasse, nisi Serenissimum Electorem Episcopum ac Principem Leodiensem FERDINANDVM A BAVARIA maiori recēter conti-

contumeliâ, iniuriâ, & odio plusquam Vatiniano affecissent, prosecutique essent, ius gentium hâc in re turpiter & nefariè violantes. Res ergo ita se habet. Serenissimi eiusdem Episcopi & Principis nostri (quæ eius est in tuendâ Religione Catholicâ vigilantia) Edicto mandabatur omnibus & quibuscumque patriæ suæ subditis, ne sub grauibus pœnis, etiam censurarum, libros hæreticorum iuxta sacrorum Canonum ac S. Concilij Triden. constitutiones, legerent retinerentque, & nominatim Librum cui titulus, *Abbregé de la voye de Salut*, aliumque leuidẽsem. Publicatur Edictum istud die 24. May 1634. Vix octiduũ labitur spatium, cum ecce Minister quispiam bardus & blatero insignis, stigmate, ac potius rota, crurifragioque dignus, consimile fabricat Edictum, præloque mandat, cui Edicto inclytum quoque Principis nomen præscribit, eisdem etiam typis, eodem Typographo, eâdem Vicarij Serenissimi Episcopi Principis signaturâ, vt pote, quibus elogijs priori Edicto fides adhibebatur. Ecce igitur impostura execranda: nam quod in illo Episcopi Principis edicto interdictum erat, in isto permittebatur, nempè vsus dictorum librorum interdictorum, maximè iam dicti libri perniciosissimi, *l'Abbregé de la voye de Salut*. Item lectionis Bibliorum Geneuæ impressorum facultas dabatur, tollebanturque censuræ eodem priori edicto contra legentes & retinentes libros istos comminatæ. Quæ quidem fraus cum primùm eidẽ Serenissimo Principi detecta fuit, mox alios apud Principes contestari, & palam facere, commentum fuisse alicuius hominis sceleratissimi, nedum hæretici, vt ex diplomate vtroque vulgari lingua excuso videre est, cuius hæc est series.

Hæretici Ser^mo Principi imponũt

FERDINAND par la grace de Dieu esleu & cõfirmé Archeuesque de Colongne, du sainct Empire Romain par l'Italie Archicãcellier, & Prince Electeur Euesque de Paderborne, Liege, & Munster, Administrateur de Hidesheim, Bergtesgade & Stauelot, Conte Palatin du Rhin. Duc des deux Bauieres, Westphale, Engerẽ & Boüillon, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, Loigne, Horne, &c. Comme pour le deuoir de nostre office, nous auons pieça fait publier le Mandement cy en bas au long contenu, à fin tant plus soigneusement pouruoir a la conseruation de nostre foy Catholique, Apostolique, & Romaine, laquelle par les troubles de noz voisins se troune maintenant affligee, Nous auons à nostre regret entendu, que quelques esprits de mensonge pour abuser les jdiots, & simples gens auroient esté si osez, què de contrefaire, & parsemer parmy le peuple vn Mandement soubs nostre nom, & signature de nostre Vicair general de Liege tout semblable en apparence, de mesme date, & soubscription què le nostre, mais directement à iceluy tout contraire, à fin donner tant plus de lustre, & credi à leurs erreurs, & pernicieuse doctrine. Dont pour le mesme deuoir de nostre office, à fin des-abuser le monde, pas tant pour nous (veu que par la grace de Dieu nostre foy est assez cognuë à vn chascun) que pour confirmer nos subiects à ce qui est de leur deuoir, & de nostre entiere intention, & volonté en ce particulier, Auons ordonné & ordonnons, que nostre dit mandement soit en sa vraye, & sincere forme, & teneur renouuellé, & de rechef publié, & inuiolablement obserué, & au contriare tous tels mandements contrefaicts defendus, & prohibez, comme les defendons, & prohibons de lire, mesme retenir soubs peines d'excommunication *ipso facto*. Commandant que les autheurs d'iceux, Imprimeurs, promoteurs, & Instigateurs soyent soigneusement recherchez, & en rigueur de Iustice à l'exemple d'aultres chatiez. Ordonnant à nostre Procureur General, & tous noz autres Officiers, & Iusticiers, de faire en ce tout deuoir à ce conuenable suyuant les loix, & coustumes du pays, sans port, ny dissimulation quelconque, demeurants entretant les Edicts de Religion par noz predecesseurs faits, & par nous renouuellez en ses entieres forces, & vigueur. Car telle est nostre serieuse volonté. Donné soubs nostre nom, & cachet secret en noster Ville de Bonne le cincquiesme Iour du mois de Iullet en L'an Mil six cent, Trente quattre.

FERDINAND.

S'ensuit le contenu de nostre dit Mandement.

FERDINAND par la grace Dieu, esleu & confirmé Archeuesque de Colongne, du S. Empire Romain par l'Italie Archicancellier, & Prince Electeur, Euesque de Liege, Paderborne & Munster, Administrateur de Hidesheim, Bergtesgade & Stauelot, Comte Palatin du Rhin, Duc de deux Bauieres, Westphale, Engeren & Boüil-

& Bouillon, Marquis de Franchimont, Comte de Loox, Loigne, Horne, &c. A tous ceux qui ces presentes lettres verront & entendront, Salut. D'autant que l'experience iournalliere demonstre euidemment que la lecture des liures Hereticques cause de tres grands maulx en l'Eglise de Dieu, & expose les Lecteurs bien souuêt au peril & dâger de leurs ames, Nou desirât selon nostre pouuoir & charge côseruer noz Subjects en la Foy anciêne de l'Eglise Romaine, & faire entendre à vn chascun combien la mesme Eglise de Dieu deteste & abhorre les vices execrables d'heresie, combien grieuement elle punit ceux qui en sont atteints, qui les defendent, & fauorissent, voir mesme qui lisent ou retiennent sciemment leurs Liures, Auons trouué expedient & necessaire de rememorer en ce present Mandement (outre ce que le S. Concil de Trente, & noz Predecesseurs ont ordoné touchant ce faict) ce qu'est porté en la bulle dicte de la Cene du Seigneur, dont la teneur s'ensuit: *Nous excommunions tous Heretiques & Chismatiques, comme Hussites, Wicleffistes, Lutheriens, Zuingliens, Caluinistes, Hugenots, Anabaptistes, Trinitairs, & tous & chascun autres Heretiques de quel nom ils soyent appellez, de quelle secte ils soyent auec leurs fauteurs, adherants ou defenseurs, Tous ceux qui sans l'autherité du Siege Apostolicque sciemment lisent, retiennent, vendent, ou impriment leurs Liures en quelque maniere, ou pour quelque cause, pretexte, ou couleur que ce soit, publicquement, ou secretement.* Entre lesquels liures Hereticque nous declarôs estre comprins ceux qui sont esté dernieremêt mis en lumiere par les Ministres de la pretêduë Religion reformée, signamêt vn Liure dict *Abbregé de Salut*, auec des obseruations hereticques faulsement attribuées aux Peres de la Societé de IESVS en la Ville de Maestrich. Item *L'Imposture Monachalle*, ou *La Fable du Monstre decouuert*, & autre, soit en Latin, ou Françoy, soit portant nom de l'Autheur, ou point. Partant, sçauoir faisons à tous & vn chacun de noz Subjects au Pays & Diocese de Liege, que personne de quelle qualité, ou condition que ce soit, n'estant à ce authorisée, n'ait à lire lesdits liures, faire lire, ou retenir chez soy sans nostre expresse permission, ou de nostre Vicair General, ny aussi autres Liures estrangers, n'estans censurez par gens à ce qualifiez, autrement declarons par ceste que tous contreuenans incoureront l'excommunication portée en la Bulle susdicte. Commandant de surplus & serieusement à tous noz Pasteurs, & autres ayant charge d'ames, comme aussi à tous Librairs, & Imprimeurs de garder le quatriesme & sixiesme Article du Cap. 1. de noz Decrets Synodaulx derniers, & ce soubs la peine illec reprinse. Et comme il n'est que trop notoir que les pretendus Reformés ont corrompu & falsifié les Sainctes Bibles en plusieurs endroicts, de sorte que la lecture d'icelles, principalement de Geneue, est grandement pernicieuse, Nous ordonnons, & commandons bien à certes, que personne d'oresnauant n'ait à lire ou retenir aucunes Bibles en langue vulgaire: que si aucuns ayent obtenu, ou obtiendront de nous, ou de nostre Vicaire General permission de les lire, Iceux en dedans huicts iours les mettrôt és mains de leurs Curez, à fin icelles Bibles estre examinées, & ce soubs la peine couchée dans l'Indice des liures defendus, *Reg* 4. Commandant à tous Curez, & autres ayant charge d'ames incontinent apres qu'ils

auront cognoissance de ce Mandement, de le publier chacun en sa Paroiche, & le souuent renouueller, à ce que personne n'en puisse pretexer ignorance. Et à fin que le tout soit tant mieux gardé & obserué, nous ordonnons semblablement à tous noz Fisques & Officiers de proceder en toute rigueur contre ceux qui seront trouué auoir contreuenu à ce nostre present Mandement. Donné en Liege soubs la signature de nostre Vicair General, ce 24. de May 1614. IAN DE CHOKIER, *Vicair General de Liege.*

A LIEGE, De l'imprimerie de IEAN OVVVERX Imp: juré de S. A. S.

Cœterum, quò magis magisq; cognita esset impostura perfidi istius hæretici, decreto altæ Iustitiæ Schabinorum Leodičsium ordinatum fuit die vltima Mēsis Iunij. 1634. Programma illud falsum igne in publico foro sub patibulo manu tortoris (quâ etiam Auctor debuisset meritò suspendi) comburendum. Series porrò Senatusconsulti sic se habet:

S'ensuit le Proces & Sentēce des Seigneurs Escheuins de la haulte Iustice de Liege, allencontre dudit faulx Mandement, & execution d'iceluy.

LE dernier iour du mois de Iuin, Anno 1614. comparurent par deuāt Nous Mayeur & Escheuins de la haulte Iustice de Liege, les Seigneurs Officiers de son Alteze Serenissime, & Manbour de la Cité, lesquels nous ont reproduict certain Mandement & Edict publique de Sadite Alteze, prohibitoire des Liures heriticques & defendus, en date du 24. May dernier, soubsigné par le Reuerend Seigneur Iean de Chockier Vicair General de S. Alteze Serenissime de Liege, soubs l'Impression de Iean Ouvvrerx Imprimeur juré de Sadite Alteze, joint impugnatiuement vn autre pretendu Mandement du mesme jour, & an, espars clandestinement deça & de là, directement, & diametralement contraire au precedent, & par imposture, & faulsement fabriqué soubs la mesme authorité & impression. Or comme lesdits Officiers trouuent iceluy notoirement faulx, abominable, calomnieux, & tres pernicieux au publicque, & l'Autheur infame, ils concluent en suitte de ce, ledit pretendu Mandement, & Edict faulx, soit declaré condamnable d'estre bruslé, & mis en cendres au marché, & lieu patibulair, par l'Executeur des hauts œuures, & ce sommairement sans aucun delaye, attendu la notorieté du fait, & consequence.

Le 1. iour de Iuillet Anno dit 1614. veu par Nous les Escheuins de la haulte Iustice de Liege les acts, & les deux Imprimés reproduis, dont l'vn est de la teneure suyuant; FERDINAND *par la grace de Dieu, &c. A tous ceux qui ces presentes lettres verront, & entendront, Salut,* D'*autant que l'experience iournaliere demonstre euidemment que la lecture des Liures heretiques cause des tres-grands*

maux

maux en l'église de Dieu, &c. Et l'autre portât ce qui s'ensuit ; FERDINAND *par la grace de Dieu, &c. A tous ceux qui ces presentes lettres verront, & entendront, Salut. D'autant que l'experience iournaliere demonstre euidemment que les mensonges, les faux miracles, & les superstitions causent de tres-grands maux en l'Eglise de Dieu, &c.* Declarons le premier sus-escrit estre le vray Mandement de S. A. Serenissime, & le second estre faux, & fabricqué par imposture, à fin, en contrefaisant le vray, abuser le monde, le comdamnant comme tel d'estre publiquement sur le marché, & soubs le gibet bruslé, & mis en cendres par le Maistre des hauts œuures, ordonnant aux Seigneurs Officiers de s'informer des Autheurs, & cooperateurs, pour estre procedé contre iceux selon la rigueur des Loix, Statuts, & coustume : prononcé present ledit Officier.

Le 14. de Iuillet Anno dit 1634. ledit faux Mandement a esté executé par le maistre des hauts œuures en plain marché, le peuple y present, & iceluy bruslé, & mis en cendres au lieu patibulair, dessoubs le gibet à perpetuele memoire, iouxte & en conformité de nostre dit Iugement ; Ce qui a esté par nous mis en garde. *Per Registrum* GERSCHOVEN.

A LIEGE, De l'Imprimerie de Iean Ouvverx, Imprimeur iure de S. A. Serenissime, le 15. du mois de Iuillet, 1634.

Sententia Scabinorum summâ nititur æquitatione.

Æquitas autem istius sententiæ satis sese pandit, quòd nimirum postremum illud Programma fuerit perfidè & falsò fabricatum, ac in præiudicium honoris & existimationis Serenissimi Episcopi & Principis FERDINANDI, ideoque meritò rogo tradi debuit, Auctorque si is cognitus fuisset, pœnâ mortis affici, si æquitatem, ac iuris scripti dispositionem attendamus, Boerius decis. 82. nu. 9. Cardinalis Tuschus tom. 3. conclus. 41. in fine. R. P. Layman Theol. moral. lib. 2. tract. 1. cap. 15. Io. Nicolai tracta. de hæret. quæst. 15. nu. 4. & alij sexcenti.

Ad Lectorem.

Concludo hoc Caput sententiâ D. Cypriani: *Vera dementia est, non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu fallant, noctem tamdiu esse, quamdiu non eluceßit dies, clarificato autem die & sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare.* Itaque iam detectum est commentum malitiâ Ministri contectum, quo nedum vocatus est in inuidiam apud Principes, magnates, Respublicas, sed & apud ipsum Vrbis

Tra-

Traiectensis Præfectum, atque alios verbi Ministros Flandros qui merito maximo in ipsum excanduerũt, etiamque excandescunt, atque insuper conuicijs proscindunt.

CAP. VIII.

Debacchatur Minister Hæreticus des Maretz *in Vicarium Leodien. ac Religiosos præsertim Franciscanos, & PP. Societatis* IESV.

SI tam execranda mendacia Artaphaxis maiora Calumniator iste Minister audet in Serenissimum Electorem, ac Præsulem Leodiensem, vicinum & neutralem Principem, Religionis Catholicæ & Romanæ acerrimum defensorem, publicè proferre, quid non auderet idem impudens Lauernio in eiusdem Serenissimi Episcopi Principis subditos & Officiatos? Iam prænarraui, vt mihi Patribusque Societatis Oppidi Traiectensis insultarit, dabacchatusque fuerit os illud barbarum & procax, & in conuicia semper armatum, sed nec istis calumnijs modũ posuit ipsius impudentia, & procacitas: qui enim fines verecundiæ semel excessit, eum benè & gnauiter impudentem esse oportet. Itaque cum publico nuper Programmate testificatus essem librum illum, *Abbregè de la voye de Salut*, cum Annotationibus falsò adscriptis PP. Societatis IESV, me nequaquã conscio editũ esse, multisq; hæresibus atque calumnijs scatêre, lacessiuit me iterũ illarum Auctor ac potius Impostor alio scripto edito, quo veluti è plaustro conuicia in me spargit (licet non ausus fuerit frontispicio nomen suum apponere) in me inquam coeteroqui per Dei gratiam, Catholicum Romanum, atque in hac fide à parentibus meis Zelosis Catholicis ab incunabulis educatum, quem nihilominus spurcissimus

&-se-

& semidoctus Didascalus Minister indigitare non erubuit vnâ cum parēte meo, tanquā Reformatæ Religionis (si Dis placet) alumnum. Magna hercle rabies est, stylum distringere in manes Catholici hominis, & pro tali ipsa hac Ciuitate notissimi. Vultne scire bardus iste Calumniator qualis fuerit meus parens? quam Catholicus? Adeat familiam PP. Dominicanorum huius Ciuitatis Leodiensis, ibi audiet, si vtrasque aures habet, dotes datas à parentibus meis, Auis, Abauis, alijsque Maioribus pro sacrificio Missæ quotquot diebus in Sacello, quod proprium est familiæ nostræ, persoluendo. Adeat rursum regesta eiusdem Ciuitatis nostræ & videbit, licet ægris oculis, parentem meum, patruum, patrueles, denique Maiores meos, iam à pluribus non dicam annis, sed seculis inter Catholicos censitos fuisse, & nō solum à Principibus, honoribus cohonestatos, verumetiam in hac Ciuitate primas atque præcipuas dignitates sine vlla hæreseos suspicione administrasse. Nemo enim apud nos publica gerere officia, aut Magistratum potest, qui non sit in auitâ vera & Catholicâ fide & Religione spectatissimus, quod omnes pro re exploratissima sciūt & in hoc sequimur iuris Cæsarei dispositionem.

Apud Leodinses nemo publica administrat officia nisi sit verè Catholicus.

L. fin. C. de Postul. l. probatorias C. de Diuers. offic. lib. 12.

De me verò, quod obijcit educatum me esse in hæresi (quam vsque adeò damno, inquit) pudeat illum sic officere veritati. sed qualem poterunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati resistunt? Enimverò, si non esset læuâ & peruersâ mente, calumniam hanc, plusquam Argiuam, haud excogitasset, qui etiam sciebat, vel scire debuit neminem in Illustre nostrum Cathedrale Collegium S. Lamberti cooptari, qui non sit Catholicus, & cuius parentes nulla vnquam infamia laborarint. Quæ autē maior infamia, quam prognatū esse ab hæretico parente? Hæresis enim summam infamiæ notā inurit, estq; hæreticus peior

Tom. 4. Conclus. iuris cōclus. 93. Iudæo & Saraceno, teste Eminentissimo Cardinale Tuscho, quia priuatur dominio & possessione bonorum suorum. Vbi igitur es Sectarie, qui hoc non vides? At lippus es, ac potius lymphaticus. Si insuper consuluisses Collactaneos meos, eosque qui litteris mecum operam dedêre, & postea vsum & consuetudinem mecum habuere, oculosque deflexisses in plusculas lucubrationes nostras diuersis Pontificibus, vtpote Paulo. V. & Gregorio XV. quos aliosque Petri Successores odio plusquam ciuili prosequeris, nec non alijs Principibus Catholicis quà Ecclesiasticis, quà profanis inscriptas, haud quaquam iudicasses me parili tecum religione viuere, aut sentire, quin longissimè ab illa ætatèm abfuisse. Verùm, pluribus refellendis ineptijs tuis non insistam, vt non videar apud ignotos timere, ne infamer ab infami, & vexari opinione doloris puerorum more, quibus metum incutit vmbra. Itaque satis superque de me.

Sed rabies tua nec dum desæuijt. Laceras enim maligno dente nostros Religiosos, tam à doctrinâ, quam pietate spectatissimos, & qui *diu noctuq;* vt vtar verbis sacri Codicis, *æstu vrūtur, ac gelu* à quorū oculis, fugit somnus, vt oues Gen. 21. Pastoris Pastorum, ad instar Patriarchæ Iacob, à lupis rapacibus, quales estis, bacillo doctrinæ defendant. Distrinxisti inquam stylum tuū in illos, libello isto, cui titulum fecisti, *la fable Monachalle,* & nouissimè *Monachomachia tua,* quibus Libellis nihil ineptius dici excogitarique potest, & è quibus, si calumnias, mendacia & hæreses sustuleris, chartas albas pœnè inueneris: Crede Lector,

Boëtum in crasso iurares aëre natum.

Nimium, adeò stolidus est & sui impotens, vt quarum calumniarum & impietatū auctorem se libello isto *fabula Monachalis* prodere apertè nō audet Sectarius, de auctore

con-

coniectandi occasionem præbeat: vnde si coniectura minus propior vero sit, fuerit certè aliquis, quem nequitia similem, & garrulitas fecit æqualem. Vt vt sit, tres illas litteras sacrilego Auctoris libello adiectas, sic liceat interpretari:

S.	D.	M.
Sacrum	Diaboli	Mancipium.
Soboles	Demoniorum	Maledicta.
Stolidus	Delirusque	Ministellus.
Sacrilegæ	Doctrinæ	Magistellus.
Scripturæ	Diuinæ	Mutilator.

Ecce Elogia Auctore illo digna, optet ex illis quod volet.

Sed euidentius te prodis, & nomen tuum adscribis *Monachomachia* tuæ (dicere fortè voluisti *Monarchomachia*, quia pugnas etiam contra Principes), & ore canino latras contra Monachos nostros: in quo non miror, quia Monachorum vita tibi tuique similibus hæreticis nunquam non exosa fuit, vt eleganter D. Hieronymus ostendit, quoniã illis semper obsistunt, & flagitiosos mendaciorumque cõsarcinatores, in quibus excelluisti, arguunt, increpant, & cum vsus fert, acriter repræhendũt. Itaq; ab illa causâ Monachis hæretici insultant: sed *& quia ab vnitate diuisi sunt* inquit S. Augustinus *meritò nomen vnitatis abhorrent qui se ab vnitate præsciderunt, meritò illis displicet nomen Monachorum, quia nolunt habitare in vnum cum fratribus.* siquidem sequentes Lutherum, Caluinum, & talia monstra, Christum Dominum & Vnitatem deseruerunt. *In vita Hilarionis.* *In Psalm. 134.*

Sed si cuculla Monachorum, ô miser Maresi, tibi displicuit (quam nihilominus in ordine Seraphico amplexati sunt multi Magnates sæculi, vtpote Duces, Comites, Barones &c. qui securiorem, spretis seculi illecebris angustã ad æuiternam vitam secuti sunt viam) multò minus pulla vestis Ignatianorum, vt appellas, tibi placuit. Itaque illud

fuit omnis culmen insaniæ, quod Sanctissimum illum Ignatium,

——————————— *quo iustior alter,*
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Pag. 100 suggillas, in eadem tua Monachomachia, dum dicis simulachrũ Ignatij Loyolæ, quo die in Vrbe Diuos inter relatus fuit, funibus, quo colligatum erat fractis, decidisse in tartarum, vnde plerique cœperunt, inquis, de nouo hoc Sancto malè ominari. Impium rursus commentum. nam quotquot in Vrbe tum fuere, nullus prorsus dicet istum lapsum, quem tu inuerecundè & calumniosè fingis. Credam autem potius illis, qui interfuere, quam tibi mendaci, qui sœpè cum tuis erronibus ab istis viris doctis publicè vapulas: inde fit vt illam Societatem maledictis tuis insectaris, quam, si non esses orcodoxus hauddubiè suspiceres & amares. Verùm, hoc sidere nati videntur Sancti Ignatij in Christo soboles, vt hæreticorum & speudopoliticorum omnium, calumnias debeant sostinere. Deus bone! quãtis iniurijs, quantis calumnijs appetitus fuit Eruditissimus iuxta ac Sanctissimus Cardinalis Bellarminus? (quem tu etiam indoctissimus doctissimum sæpè perstringis in tua Monachomachia.) Nam prò concionibus sœpissimè clamitarunt tui similes hęretici eum scripta sua, controuersias inquam suas, quibus Euangelicam veritatem (hoc enim specioso nomine hæresim suam cohonestant) oppugnarat, retractasse, & publicè omnium factorum dictorũque veniam & abolitionem petiuisse, & quod reliqui ad salutem erat, Caluinianum, proh pudor, esse factum.

Addidere prætereà, eam ob causam à Pontifice coniectum in carceres, denique oppressum supplicio, & compulsum ad necem. Huius mendacij mentio est, in responsione eius ad Regem Scotiæ, vbi doles Regem (cui nec

 desit

desit lumen animi, neque summa generis claritas) desciuisse penitus ab auitâ religione transmissa sibi per Martyrem Genetricem, & sequi eos Duces, qui per errorum scatebras, ipsum lapsantem agerent, atque præcipitem, his quidem verbis:

„ Vt referunt ad me, inquit, viri spectatæ fidei, in Regno
„ Maiestatis tuæ Ministri, nec semel, sparserunt; me, quæ-
„ cumque edidi pro Catholica fide aduersus Lutheranos, &
„ Caluinianos aboleuisse: imò & ad Caluini sectam trans-
„ gressum esse; Romæ verò propterea à Summo Pontifice
„ captũ, iudicatum, & vltimo supplicio denique affectum.
„ Enimvero si quæ sunt huius generis mendacia, & quæ
„ milleni testes redarguere possunt, Ministri audent com-
„ miniscì; quid illi non audeant in alijs, quæ obscura sunt,
„ & à sensu distant? Ego nec syllabam vnam induxi, aut im-
„ mutaui ex his, quæ contra Lutheranos & Caluinianos de-
„ di semel veritati: nec inducam, vel immutabo, quamdiu
„ erit mihi propitius Deus; sed retinebo in corde Ortho-
„ doxam fidem, donec me vita prior deficiat. Viuo insuper,
„ & quidem Romæ, in Vrbe oculatissima; quæ etiam vi-
„ det me in eâ dignitate, quam nunquam optaui, quoniam
„ elegeram abiectus esse in Domo Dei mei. Sed nimirum
„ ille, cuius voluntas est supra me, & supra pios omnes,
„ voluit vt ad gradum honoris ascenderem, meque purpurâ
„ induit non petentem, sed petitum vltrò, imò & adactum
„ imperio. Hoc argumento prouocans ad sensus ipsos iudices criminationem manifestè ream, deindè patefecit dolorem animi, miserationemque, erga virum Regij generis ac muneris, cum insigni ruinâ subditorum & suâ, deerrãtem extra Ouile Summi Pastoris animarum nostrarum.

Longum esset cætera prosequi conuicia, quæ procaci & fœtido ore in ipsum euomuêre hæretici, quæ petat

lector, si volet ex rebus eius gestis, quas ex Italico primũ sermone conscriptas à R^do. P. Iacobo Fuligatto eleganti depinxit penicillo Latino, Reuerẽdus quoque in Christo Pater Siluester Petrasancta, vterque Societatis Iesu: quam quidem Societatem Clemens VIII. Pontifex Max. *Societatem ingeniorum* meritò appellare solebat. Nam si consideremus locorum multitudinẽ, in quibus variæ scientiæ ab illa docẽtur, & posteà per vniuersum orbem bono Reipublicæ Christianæ excoluntur, videbimus varijs in locis facile esse trecenta Collegia, tria circiter classium millia, in quibus nedum in linguâ Latinâ, sed & Græcâ, Hebraiçâ, Chaldæa (quæ linguæ Theologis maximè necessariæ) Iuuentus accuratissimè instruitur. Si perpendamus etiam libros ab eâ Societate tam breui temporis spatio editos, certò non arbitriò dixerimus excedere numerum librorum in Aegypto à Ptolomæis Regibus conquisitorum, ascendentem ad septingenta millia, teste A. Gellio. Verùm, à multitudine librorum, qui ab istis doctissimis Patribus prodiere & qui per ipsum orbem terrarum longè latèque dispersi sunt, Societatem hanc non laudauerim, sed potius à singulari pietate & cultu Religionis purissimo & exactissimo. [Libris veniet sua dies fati, vt euenit eidem Ptolomæorũ Bibliothecæ quæ fortè, an deditâ operâ incendio in fauillas redacta fuit. Virtus & pietas æternùm manent:

Rib. 2. cap. 7. — Lib. 6. cap. 17. — Dio lib. 42. A. Gel. c. 7.

Omnia prætereunt, expers manet vna sepulchri
Virtus triumphatrix necis.
Hanc cole qui legis hæc, mortaliaque omnia spernens,
Æternitatem prospice.

Itaque, videat beneuolus lector, quantoperè deliret ac insaniat Maresius iste, qui subsannare audet Sanctissimum virum Ignatium tantorum filiorum in Christo

Patrem,

Patrem. In quo non eſt, quod quiſquam miretur: cum nullum genus hominum acerbius hæretici oderint, quam iſtius eruditiſsimę, Societatis alumnos (inter quos alioqui plurimi Duces, Comites, Barones, Marchiones, nobiles quam plurimi, quorum tu Mareſi non eſſes dignus calceamēta ſoluere, ac ne quidem cellæ curam habere) quod probè ſciant per illos Iuuentutem, & inde Rempublicam in auitâ Religione, & bonis moribus erudiri, atque confirmari. Et quia ab illa abhorres, & hos negligis, aut ſpernis, inde fit vt aliud virus tuæ in illos acerbitatis ſpumanti inſanoque ore excreare non erubeſcas, dum vocas illos impuriſsimæ ſectæ homines, infames, ſeditiſos &c. ſi tui ſimiles eſſent, mererētur exigi ex ciuili & catholica hominum Societate, at non illi tales, ſed tu qui nedum impurus, & infamis, ſed (ne quid impudentiæ tuæ deſit) ſeditioſus es quoque: Ecce genuino mordes Sereniſsimū Epiſcopum Principem dum dicis Caſtrū Bullonij vſurpatione factum eſſe Epiſcopis Leodienſibus, at quam turpiter impingas, quotuſquiſque non videt? cunctis enim hiſtoriam legentibus patet arcem illam Bullionæam titulo emptionis per Obertum Epiſcopum Leodienſem circiter annum 1096. â Godefrido Lotharingiæ Duce factæ ad Leodiēſes Epiſcopos cōtinuâ multorum annorum ſerie ſpectauiſſe, licet Rainaldus quidam Comes Barenſis homo ſingularis perfidiæ (vt habet hiſtoria) proditoriè illam interceperit, ſed poſt illa, vi & impreſsione per Leodienſes factâ, ac potius Beatiſsimi noſtri Patroni Lamberti apud Deum potētiâ, in eorum poteſtatem circiter annum 1141. rediјt, & continuò huc vſque māſit, in quo omnes Annales noſtri conueniunt: ad quos non te remitto, cum nihil tua interſit ô ignare Mareſi, ſed ad incunabula & crepūdia gnatorum tuorum, ô Miniſtercule fœdiſsime.

Pag 39. & 59. *Pag. 58.*

152

Ex his ergò videt lector, quam inaniloquus sit Maresius, imò falsiloquus & hipponacteo præconio dignus, qui ausus fuit non solum iniurijs lacessere Serenissimum Principem, eiusque Ministros, neque non Religiosos suæ Ciuitatis Leodiensis, sed etiam varijs libellis committere falsitates plusquam Diabolicas, putidis, vt diximus, hæresibus ex Lutheri, Caluini, Bezæ officinis depromptis, admixtas, quibus insuper refutandis opera minus est danda, quòd monstra ista iam diu sint iugulata per eminentissimos Cardinales Bellarminum, Du Peron, aliosque. Idcircò merito maximo Serenissimus Elector Episcopus Princeps Leodiẽsis in suo illo laudabili mãdato cuius paulò ante mentionem fecimus, omnibus istius pestiferi libelli, cui titulus *La voye du Salut*, vsu interdixit, vtpote in quo, specie Doctorum Catholicorum ibi citatorũ, ineptissimæ hæreses inserebantur. Verùm, eiuscemodi planè noscuntur esse mores Hæreticorum, inquit Eminentissimus Cardinalis Baronius, vt omnia proditoriè agant, & accepta tessera Catholicorum inter ipsos Catholicos militare videri velint, vt contra fidem Catholicam aliquid fallaciter & fraudulẽter tutius machinari possint. Sed nihilò plus efficiunt, quam si telas aranearum texerent, aut Sisyphi saxum voluerent, imò fraudibus & sua virulentâ maledicentiâ Ecclesiam illustrant, & confirmant: quæ dum premitur, erigitur; dum insectatur, dilatatur; dum lacessitur, vel canino dẽte roditur, eruditur. Sicut vrbes & arces hostium finibus proximæ & limitrophæ armis ac rebus bello necessarijs munitissimæ semper sunt, quæ verò in medio prouinciæ sunt, negliguntur, & si qua munimẽta habent, rubigine consumpta & fœdata iacent: sic Ecclesiæ circum latrantibus hæreticis proximæ, contra eas diligenter se muniunt, verbum Dei accuratius tractant, disciplinæ

censuram

censuram strictius obseruant, vt eleganter S. Cyprianus ostendit, & nos experimento quotidie ediscimus.

CAP. IX.

Rursum Serenissimum Principem vellicat, carpit, ludificatur, Samuel des Maretz, Minister Oppidi Traiectensis.

DVm hæc partim scribo, partim dicto, vtpotè inter occupationes diurnas oppidò distractus, offertur mihi liber Samuelis des Maretz, cui titulum fecit *Monachomachia,* siue Vindiciæ pro veritate Religionis reformatæ, aduersus Mathiam Hauzeur, quem librum instius fuisset inscribere additâ vnâ litterâ *Monarchomachia* quia impostor iste, nedum Reuerendo in Christo Patri *Mathiæ Hauzeur* Guardiano FF. Franciscanorũ Recollectorum Ciuitatis Leodiẽsis, non minus à pietate, quam eruditione spectatissimo, sed etiam Principi Electori Coloniensi Vtriusque Bauariæ Duci, Episcopo Principi Leodiẽsi Domino meo insultat. Vt ergò illum oculis meis subieci, licet profectò limis viderim, subijt animum memoria veriloquij, quod paullò ante produxeram ex epistolâ B. Iudæ, hæreticos nimirum *spernere Dominationem,* id quod vel ex solâ ipsius epistolâ dedicatoriâ conuinco. Videamus. Vellicat igitur & pungit Serenissimum Episcopum Principem impio stilo (qualem olim aduersus Principes suppeditauit Luthero Sathan, & verò num sit illi quoque familiaris Maresius, ipsius nequitia dubitationem multis inijcit) dum inquit maioris ipsum esse Prudentiæ Principem, imò & maioris fortè erga Dei verbum reuerentiæ, vt auctor voluerit esse Programmatis (quo interdicebantur subditi lectione librorum hæreticorum aliorumque prohibitorum) tam impij, inquit, & ipsâ Episcopali Dignitate indigni, atque ita vult Principem

Maresius vellicat Ser.mum Principem.

I Catholi-

Catholicum Ecclesiæ Romanæ fidelissimum cultorem, & modò Germaniæ Destinam, tantæ fuisse ignorantiæ, vt Programma istud, clam ipso fuisset editum. Et insuper verbis in ipsâ epistolâ liminari conceptis facit magnum Principem revereri Verbum Dei, à se nequam hæretico in libellis hæresibus scatentibus, (quorum lectione Serenissimus Episcopus Princeps proprio suo mandato omnibus interdicebat) propositum: atque ita reddit ipsum hæreticum, aut hæreticis eorumvè scriptis (quod absit opinari) adhærentem. Quid, quod eundem velut plures Episcopas (vt inquit) habentē, negligentiæ in administrando munere suo Episcopali taxat. Quasi verò semidoctus Didascalus, ac tumidæ arrogantiæ Minister, pædagogum, si Dis placet, agens, sed imaginosum patiens, vtpotè oculos diu ac noctu patentes in actiones Principum conijciens, Notâ Censoriâ dignum putet Serenissimum Principem. quæ impudentia, pœna indeprecabili est castiganda.

Iniuria Ser.mo Episcopo Principi Leod. illata.

Hæccinè reformandæ Religionis via, vt illam nonnisi per calūnias, mendacia, cōtumelias, iniurias etiam in Principes promouere satagat? Imputat etiam mihi vt Serenissimi Episcopi Principis Vicario, quod auctor fuerim istius Edicti prohibitorij, alioqui saluberrimi, quod scurra iste vocat impium: esto, fuerim, si non auctor, at executor; non muto factum. Patiarne me impatientiæ accusari? Principe meo vigili curâ in hæreses & hæreticorum libros intendente, socors ego solus sim, vt disseminari in vulgus Sathanicos libellos patiar? non, non: agimus, quod debemus: neque, (vt interpretatur) diuinæ scripturæ libros interdicimus, sed sacros (sensu veterum) id est, malos, & à sacris hominibus, in quibus facilè primus est Marcesius, depravatos: scæuam doctrinam à Catholicis nostris, vix litteraturâ tinctis arcemus, ne toxico ipsius inficiantur.

Festus Pomp. in voce Sacer.

Quibus prohibeatur lectio S. librorum. tur. Itaque non omnibus, nec quidem bonis, librorum eiusmodi farinæ hominum, vt nec Bibliorum in vulgari editorum vsum permittimus, nisi Superiorum facultate munitis: si enim passim, & sine discrimine, plus detrimenti (vt Sancti Patres annotarunt) quam vtilitatis ex eiusmodi lectione orietur. Audiat noster impostor & falsarius, Hieronymum, quem appellat, & pro me dicet ipsi: *Quod medicorum est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Scribimus indocti doctique poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas, de sacris litteris philosophantur. Alij discunt, prò pudor! à fœminis, quod viros doceant: &c, ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immò audacia, edisserunt alijs, quod non intelligunt.* *Reg. 4. Indicis lib. prohibit. Epist. 103. ad Paulinum.*

Inde etiam prurigo nascitur disputationum, quæ Cesarum legibus interdictæ: nempè, quod ex illis, vt benè animaduertit Nicephorus, plurimæ discordiæ oriantur, vel inter ipsas quæ fuso coloque contentæ esse deberent. *Ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit Tertullianus, *quam procaces, quæ audeant docere, contendere, &c.* Itaque nedum huic sequiori sexui, sed & Abecedarijs, alijsvè illiteratis, ex toto rudibus, vel ad litteras altiores non perductis, (nam vt Comicus græcus inquit: *L. Marcianus C. de Sum. Trinit. Lib. 11. Histor. De Præscrip. contra hæreticos.* *Menander.*

Ο γραμμάτων ἄπειρος ὀ βλέπει βλέπων:

Illiterati quod vident, id non vident.) lectio scripturę sanctæ, (quam D. Hieronymus Sacramentis plenam scribit) minus conceditur: nisi Superioris iudicium & assensus accedat vt sacrum etiam definit Concilium Tridentinum. Atque hoc est, quod Tertullianus dixit: *Despici debet, cui competit* *In Psal. 86. Reg. 4. Indicis. Lib. de Præscr.*

 possessio

tsl

Epist.22 *possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit*, Appositè S. Hieronymus ad Eustochium: *Melius est aliquid nescire securè, quam cum periculo discere.*

Vult nihilominus impostor noster, Episcopos omnes adhortari (ne sequiori quidem sexu excepto) ad sacræ scripturæ lectionem!: suæque sententiæ laudat Auctorem Hieronymum epistolâ ad Lætam viduam, vbi agit de institutione suæ filiæ septennis in quâ sub finem hortatur, vt Codices sacros amet & legat. Item in epistolâ ad Gaudentium de Pacatulæ institutione, in quâ itidem permittit lectionem librorum sacrorum, vult inquam noster sapientum octauus, omnes omnium lectioni scripturarum vacare. ô sanum sinciput! quasi omnibus essent similes & viuendi & instruendi magistræ, quales fuere Læta, Eustochium, & aliæ Sanctissimæ matronæ, quæ tamen tum temporis linguâ Latinâ pro vulgari vtebantur. Da tales & eadem concedent Superiores. Nam vt in hoc corrupto seculo libertas illa & facultas promiscuè detur penetrandi & ingerendi se in arcana scripturarum, ne prudentior vllus existimauerit. Neque enim sacer Codex perspicuus est & intellectu facilis, ac apertus, vt vos Sectarij putatis, quin potius multis est misterijs & difficultatibus refertus, qui absque multis & magnis gratiæ & naturæ adiumentis intelligi nequit, vt præclarè post alios ostendit Thomas Stapletonius Doctor Louaniensis. Nam eccè ipsimet Apostoli, qui toto triennio Christi lateri adhæserant, ac specialiter de eius morte ac resurrectione eum prædicantem non semel audiuerant, scripturas tamen in lege, Psalmis, & Prophetis eò pertinentes necdum intelligere poterant, donec Christus aperiret illis sensum, vt eas intelligerent, id est, non solum ipsas scripturas aperiebat, & exponebat, sicuti paulò ante eodem die duobus discipulis

Epist.7. Epist.12 Promp. Moral.

cunti-

euntibus in Emaus(*tunc enim interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ erant de ipso*) sed etiam Apostolorũ ac Discipulorũ præsentium sensum, seu mentē & intelligentiam (τὸν νοῦν)aperiebat, vt scripturas intelligerēt. Non ergò promiscuè sacræ Scripturæ (*cuius intelligentiam*, teste Hieronymo, *sibi imperitissimi, vel maximè vendicant*, lectio est concedenda, quidquid blaterent hæretici. Nam, vt hoc addam, cum experientia doceat plebem mysteria Scripturæ non intelligere, se tamen probè intelligere putet, fit vt quisque sibi priuatim fidem suam fabricet. Hinc passim dicunt se non curare, quid Lutherus dixerit, quid Caluinus, quid Menno primi Apostoli nouorum Euangeliorum huius æui, vt ille vel iste Minister, acquiescere se in solo Dei Verbo, quod errare non possit: & ita singuli priuatum iudicium & priuatum spiritum sibi regulam credendi statuunt. En fructum istius indiscretæ permissionis.

Lu. 24.

In c. 11. Daniel.

R. P. Lessium tract. de Antichristo.

Itaque, magis rudioribus istis piorum librorum vsus proponitur, quos voluant licet, reuoluantque assiduâ manu, transmittantque ex ijs salutaria in animum pietatis & Religionis Christianæ documenta. Ast, audio rursum Sectarios dicentes, fœcundiorem esse Diuinam litteraturam. Vobis in hoc credo Sectarijs; sed vt veram fidem oppugnetis, & subleslis vestris Interpretationibus ei officiatis. *Nec periclitor dicere*, vt verbis vtar Tertulliani, *ipsas Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent, cum legam oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent. Sed quæritur, à quo intellectus interpretatur eorum quæ ad hæreses faciant? A Diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem.* Idcircò S. Paulus ex vero scripsit hæreticos *elatos esse, superbos, semper discentes & nunquam ad veritatis agnitionem peruenientes*, ac postremò

De Præscript.

2. Tim. 3.

2. cap 3. ex sententiâ S. Petri, *Indocti & instabiles deprauant scripturas ad ipsorum perditionem.* Vnde experientia frequentissima & antiquissima docet, nullas esse natas hæreses, nisi ex scriptura perperàm intellecta, teste D. Augustino. Itaque impius est, & ineptus Maresius, qui Ecclesiam Romanam impietatis arguit, eò quia in Reg. IV. Indicis habeatur ista assertio: *plus detrimenti, quam vtilitatis oriri ex lectione sacræ scripturæ*, quam tamen Deus in verbo suo tantoperè commendat, inquit. Si commendat, non præcipit; commendat, sed capacibus illius arcanorum; commendat, sed non necessitate medij ad salutem, aut necessitate præcepti obligantis vnumquemque ad studium sacri Codicis. Quamuis non deesset fortè ratio sufficiens prohibendi laicis sacrarum scripturarum vsum immediatum ac independentem ab Ecclesiæ Prælatis: quorum officio incumbit pascere verbo Dei, & Sacramentis laicos quamtumuis doctos.

Tract. 18. in Ioan. & ep. 22. ad Cresc.

Sed quò rapior? vereor enim, ne in hoc disputationis puluere plus æquo commoratus videar: quæ tamen culpa, leuidensis erit: Non enim qui diligenter falsa conuincit, sed qui indiligenter ea transilit, meritò culpandus est. Itaque cōcludo, Serenissimum Episcopum Principem iustissimâ ratione interdixisse subditis suis lectione librorū hæreticorum, ac etiā Bibliorum vulgaris editionis, præsertim Geneuēsis, quæ varijs in locis hæreticâ prauitate corruptâ & decurtata sunt: Sed & aliorum, nisi accedat assensus Superioris, qui cum consilio Pastoris, vel Patris à sacris Confessionibus, Bibliorum vsum in vulgari linguâ subdiditis permittere solent. Ergò, nequidquam subsannat programma Serenissimi Episcopi Principis, quod non fuit impium & Episcopali Dignitate indignum, vt scribit, sed prorsus prouidum, laudabile, & ipso conscio promulga-

tum quod vel inde cognoscat, quod denuò suis Officialibus mandarit compitis affigi, & aliud falsum & pestiferũ igne cremati, vt nuper fuit carnificis manu; Auctorem verò sceleris condemnari. Enimverò, *si Lacedæmonij libros Archilochi* (vt libro primo Politicorum Aphorism. cap. 10. ex Val. Max ostendi) *è Ciuitate sua exportari iusserunt, quod eorum parum pudicam, ac verecundam lectionem arbitrabantur* (*noluerunt enim eâ liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingenijs prodesset*) quantò magis Principes Catholici operam dare debent, ne hæreticorum libri, qui verè pestes sunt animarum, suis in ditionibus grassentur, manibusque incautæ plebeculæ circulatim terantur. *Carolum V.* Imperatorẽ meritò alibi hac in re laudauimus, quod anno salutifero 1521. ex Senatusconsulto procerum Germanorum, nedũ Lutherum, sed & libros eius perquiri, & palam exuri mandauit: quod & ante eum alij Imperatores Christiani factitarũt. Testor *Cõstantinum*, quem Socrates refert Porphyrij impia scripta deleri fecisse & opera ab Ario conscripta cremari. & addit pœnam: *Vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus fuerit, & eum non statim in medium adducens igne combusserit, morte mulctetur.* fuerat autem hoc de Arij libris igne absumendis decretum quoque in Concilio Nicæno: eratque olim in more positum, vt si hæreticus ad fidem Catholicam rediret, libros à se hæreticè scriptos statim Vulcano traderet, quod ex eodem Socrate colligitur. Sed redeat ad nos peruersus mendax & calumniator, ac potius ad conscientiam suam redeat, assiduè ipsum lancinantem, quæ

——————— *surdo verbere cadit,*

Nec prius hi mentem stimuli, quam vita relinquent,

Redeat inquam, & libros suos, quà futiles, & hæreticos, quâ calumniâ plenos, si non comburat, iuxta dictam le-

Lib. 6. cap. 3.

Guil. Zenocarus lib. 1. de Gestis Caroli.

Lib. 1. Hist. c. 9.

Niceph. lib. 8. hist. c. 18

Lib. 1. cap. 24.

gem

gem Constantini, at retractet, nisi velit olim, in altero seculo, perpetuo igne hæreticorum omnium vindice, cremari. quod si in malitiâ suâ perseuerauerit, cogetur breui paludes repetere, & cum bufonibus viuere, donec decretorius ille dies venerit, quo ex paludibus in ignes perpetuos coniiciatur. Sed redeat, & salutẽ suam respiciat: redeat inquam ad Matrem Ecclesiã, quam tot iam annis oppugnauit: nemini enim claudit gremium redeunti ad se. Deus pœnitentiâ placatur. *Lætantur cœli*, inquit Tertullianus, *& qui illic angeli, pœnitentiâ hominis. Heus tu peccator, bono animo sis; vides vbi de tuo gaudeatur. Quid illa similitudinum Dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & repperit, & amicas ad gaudium inuitat, nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat & vna Pastoris ouicula, sed grex vna carior non erat, vna illa conquiritur, vna pro omnibus desideratur & tandem inuenitur, & humeris Pastoris ipsius refertur: multum enim errando laborauerat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium reuocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum praeopimum, conuiuio gaudium exornat. Quid ni? filium enim inuenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, & si acceptum ab eo prodegeris, & si nudus redieris recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate lætabitur: sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas peius, si patrem repetas vel offensum. Deliqui dicens, pater, nec dignus ego iam vocari tuus. Tantum releuat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumacia.* Sed hæc dicta sint Ministro vacillanti, aut pœnitenti, non etiam obfir-

Lib. de pœnitentia.

mato: quia malitia ipsius iam completa est. quid quæris? excæcatus est. Nequeunt enim eius oculi inuidiâ fascinati, tenebrisque assueti ad lucem perspicuæ veritatis attolli: similisque est auibus, quarum intuitum nox illuminat, dies excæcat.

CAP. X.

Detegitur alia calumnia cuiusdam Nugigeruli Ministelli dicti Hotton, contrà Episcopos Principes totumque Clerum Leodiensem.

IN nuperâ illâ dissertatione, quæ pertinebat ad perpetuam inuocationem Sanctorum in verâ Ecclesiâ Dei, quæ Lymburgi habita fuit inter R^dum. in Christo Patrem Mathiam Hauzeur PP. Recollectorum Conuentus Leodiensis meritissimum Guardianum, & quendam Hotton, qui in partibus transmosanis in Cathedrâ pestilétiæ sedet, res eò redacta fuit, vt Minister ille Hotton, eidem R^do. P. Hauzeur turpiter herbam dare coactus fuerit, quemadmodum omnibus testatissimum est. verum, postea obstipæ mentis homo, ad alias sutelas & calumnias seditionum plenas contra Episcopos Principes Leodienses, eorumque splendidissimum Clerum confugit, quasi primam in hacce Diœcesi Leodiési iam inde ab Vrbe nostra conditâ satam fidem, per auaritiam & ambitionem immutassent. Statumque politicum vsurpassent. Cessit quidem Idololatria Paganorum ab æuo S. Materni Discipuli S. Petri, veræ fidei ab ipso Apostolorum Principe traditæ, quã idem S. Maternus, & qui ab eo regimen Ecclesiæ Tongrensis, & exinde ad nostra vsque tempora serie continuâ Episcopi Leodienses, non solum animis suorum subditorum, excussis errorũ nebulis, instillarunt, verum etiam ipsimet

Pag. 90. suæ spongiæ responsionis & Apologiæ Lepidanæ nuper exercitatæ per R. P. Hauseur.

pulsâ, sicubi se ingerebat, hæresi, tenacissimè ad vsque retinuerūt. Sed absit vt Ecclesia Leodien. inde quidquam in politicis vsurpauerit, prout nouitius & seditiosus his impostor calumniatur. Ipsius enim hoc esset ostendere & probare: nam alioqui quis innocens esse poterit, si accusare sufficit? Ante tempora quidem Caroli Martelli notissimum est plerasque Prouincias Belgicas, easque, quę cis Rhenum, Idololatriâ infectas fuisse: ast ijs bellicâ Caroli virtute subactis, & exactis, pulsisque Vandalis, Alanis, ac Gothis, Legiam siue Leodium viculū, qui (vt canit Poeta)

Mille & sexcentis manet inuariabilis annis.

ab ipso pleno iure donatū fuisse S. Huberto, circa annum Christi 719. qui quidem ab obitu S. Lamberti vltimi Tongrensium Episcopi, primus eundem viculum mœnibus cinxit & eo loci Episcopalem Sedem transtulit, cum antea legibus & Religioni Episcoporum Tongrensium Catholicorum pareret. sed quoniam ista in annalibus nostris cuique obuia sunt, atque à me latius adhuc tractata libro Vindiciæ libertatis Ecclesiasticæ, ne actum agam, vlterioribus supersedebo, suffeceritque versum non ineleganCap.18. tem pro illo æuo, Leuini Brechti subtexere:

Martyrio illustris Doctor niueoque pudore
Lambertus, populo Leodinę pręsidet Vrbi;
Cuius non multò post tempore, prima locauit
Mœnia, translatis chari cum Sede Magistri
Ossibus Hubertus: vicoque ex paupere claram
Reddidit, instituens, mensuras, pondera, leges,
Francorum postquam vindex, equitumque magister
Carolus, Alpaidis proles generosa paternis
Dignus auis, quem Martellum cognomine dicunt,
Illectus pietate viri, ingenioque sagaci,
Huberto imperium terrę & ius contulit omne.

Videat

Videat ergò Ministellus, quantoperè hallucinetur, dum scribere ausus fuit Clerum Leodiensem (vt illum apud plebeculam in inuidiam vocaret) nedum Statum Secularem cum Ecclesiastico cōmutasse, verum etiam pristinam Religionem Catholicam inuertisse: Cum è contra Sancti Episcopi nostri, tanquam Romanæ Ecclesiæ genuini filij, non solum antiquis seculis Religionem Paganorum, si Religio dicenda est, suâ Prouinciâ eliminarunt, sed & viciuorum solo hæreses posteà succrescentes extirparunt, vti rectè & compendiosè ex rebus gestis Episcoporum Leodiensium annotauit Reuerendus in Christo P. Ioannes Roberti Societatis Iesu S. Theologiæ Doctor eruditissimus magnusque antiquarius in suâ Legiâ Catholicâ, quemadmodum ex ipsius recensu videbit Lector. Igitur.

Martinus VII. Episcopus, vicinis Hasbanis Christi fidem intulit, eorum meritò dictus Apostolus.

S. Perpetuus vicesimus tertius, plures barbaros eandem fidem docuit.

S. Amandus 26. Gandauenses instruxit, neque hoc contentus, ad remotiora terrarum se extendit, vltra Danubium quoque progressus, eodem Christum annuntiandi studio.

S. Lambertus Martyr noster, & Patronus Taxandros aliosque finitimos erudijt.

S. Hubertus Leodiens. Episcopus & Ciuitatis nostræ cōditor, Arduēnæ Apostolus ideò vocatur, quòd Arduennā ipse ab Idolorū cultu abductam, ad veri Dei nostri & Seruatoris Iesu Christi cognitionem & adorationē traduxerit. Addit vitæ eius Auctor etiam Taxandriam, Traiecto, vbi degebat, viciniorem, quatenus needum Lamberto paruerat, eodem beneficio affecisse; atque etiam Braban-

tiam: quòd eruditi, & pij Brabantini hodie libenter agnoſcunt. Mitto iam cæteros.

Omnes quidem hæreſes, ſed Arianā maximè, tanquam communem animarum peſtem, omnibus viribus perſecutus eſt, & exagitauit *S. Seruatius*, cuius hæc vox excepta eſt in Concilio Colonienſi; *Nos Pontifices* (inquit) *arguimur, ſi hæreticos in Eccleſiâ Dei regnare patimur, &c.* Et nunquid nòn idem his temporibus dicere poſſumus?

Ratherius quadrageſimus tertius Epiſcopus & antea Veronenſis, è pluribus libris, quos ſcripſit, vnum reliquit contra inſana dogmata Anthropomorphitarum.

Sub *Notgero* 46. Epiſcopo, ſpontè hæreſes ruebant, vt de illo ſcripſit eius temporis Poeta:

Spontè cadunt hæreſes ſub forti milite Chriſti:
Fraus & ficta fides, tumor & commenta fugantur,
Et depranſa tremunt, tamquam ſub Iudice morum.

Notgerum excipiat *Durandus* 49. qui primus contra duos virulentos Hæreſiarchas ſcripſit, de Sanctâ Eucharistiâ, quam illi, vt hodie eorum ſequaces, ſublatâ, quod in ſe erat, veritate, in meram figuram redigebãt. Extat eius Epiſtola ad Robertum Franciæ Regem apud nobilem Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptorem Baronium, in quâ inter alia hæc leguntur: *Non eſt tam pro illis* (Brunone ſcilicet Andegauenſium Epiſcopo, & Berengario Turonenſium) *Conſilium aduocandum, quam de illorum ſupplicio exquirendum.*

Sub An. Chriſti 1035.

Waſo 52. Epiſcopus, Manichæorum inſanas hæreſes inſectatus eſt, luculentâ epiſtolâ ad Epiſcopum Catalaunenſem datâ, qui eum, vt ſapientiſſimum, & maximè Catholicum Antiſtitem, conſuluerat.

Ioannes Heinſbergius 81. Epiſcopus Catholicæ Religionis ſtudio ardens, Huſſitas hæreticos, Lutheri & ſequacium

eius proauos, execratus est: sed & cum multis alijs Principibus viris arma sumpsit, & in expeditionem contra eos est profectus.

Erardus à Marcka 84. Episcopus & Princeps magnæ auctoritatis, Caroli Cæsaris Edictum, contra Lutheranos conscriptum totâ Leodiensi Diœcesi promulgauit & diligenter obseruari præcepit. Quin & impium Sacerdotem Hæreseos venena spargentem igni exuri iussit: alios vel proscripsit, vel extremo supplicio affecit, vt plura sunt illius præclara in eodem genere.

Cornelius à Bergis eius successor, multos Anabaptistas Angliâ pulsos, cum se in ditionem Leodiensem infudissent, supplicijs coërcuit, viris Vulcano, fœminis Neptuno traditis. Capitis verò pœnam in eos constituit, qui hæreticorum libros venderent, legerent: ipsis libris publicè combustis.

Georgius ab Austriâ 86. Episcopatum suum auspicatus est ab Edictis contra hæreticos, quæ per Diœcesim suam renouauit publicauitque.

Gerardus Groesbekanus 88. Zelosus valdè Episcopus, & auitæ Religionis tenacissimus, cum animaduerteret praua spargi per impios Ministros, (vt hodie) dogmata, & pruriente aure à nonnullis excipi, malo serpenti animosissimè occurrit. Masekanos & Hassellenses nouis rebus studentes coërcuit, & hos obsideri iussit, & ipse Hasseletum profectus, feroces alioqui Incolas ad deditionem cõpulit, atq; polliceri in Maiorum Religione se deinceps permansuros. Exemplũ eorum secuti Masekani. Omnes autẽ præsidium militare, dum res in vado essent, receperunt.

Sequitur *Ernestus Bauarus* 89. Episcopus, qui pari cum suis Antecessoribus diligentiâ, simul & vigilantiâ, diuersa pro conseruatione fidei Catholicæ, Apostolicæ, Roma-

næ Edicta publicauit, librosque hæreticâ prauitate suspectos sœpenumerò interdixit, ac seriam exactamque per patriam suam ac Diœcesim Catechismorum obseruationem præcepit.

Ad extremum, quam intento studio Serenissimus *Ferdinandus à Bauariâ* modernus Princeps & Episcopus in hæreticos aduigilet, satis & super testantur oportuna illius Edicta, tum alias, tum nouissimè publicata, & supra capite secundo inserta.

Consideret ergò ex his Lector, quî antiquis nostris Præsulibus (quorum octo fortiter martyrium pro Christo passi sunt) ipsorumque successoribus illudat scurra nequissimus, dum odiosâ loquacitate inquit illos primam fidem siue Religionem præcipitẽ dedisse aut peruertisse, sub initia scilicet Status Leodiensium, quem contemptibiliter ipse Statulum vocat, eius autẽ socij *Regimen* tantum, Adeò verum est, quod B. Apostolus Iudas prædixit: *In nouissimo tempore venient Illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus*, & vt ante dixit, *Dominationem spernẽtes*, quales sunt moderni Ministelli, scriptiuncularum infrunitarum & seditiosarum, quæ in vulgus clam sparguntur, Auctores abiectissimi & mendacissimi.

In sua Canon. epist.

CAP. XI.

Ad Religionis tutelam demissè monentur Principes.

MVltorum mortalium in eo stare consilia videntur, vt id assequantur, quod sibi conducere putent; at Principum longè diuersam esse sortem, vtpotè, quibus præcipuâ rerum ad famam & Religionis tutelam dirigenda. Cum enim ex diuersitate Religionum diuersa enascantur studia, Principis autem plurimum intersit, nedum pro bono

bono publico, sed etiã famâ & cõscientiâ propriâ subditos vnanimes esse (nam discors in se regnum durabile non est) omni certè studio, & conatu enitendum est, vt sarcta tectaque Religio, atque auita fides in Repub. conseruetur. Affatim testimoniorum & exemplorum suprà attulimus, quibus clarè constat, proprium esse hæreticorum calumnias contra Catholicos comminisci, iniurijs contumelijsque eos lacessere, Dominationem spernere, seditiones, vel clam, vel signo dato, suscitare & commouere, fas nefasque omne miscêre. Idcircò aduigilare par est Principes contra furias infernales, quæ diu noctuque hisce temporibus classicum in Catholicos & Catholicorum Ecclesiam perstrepunt. Iam satis, proch dolor, edocta Germania, quam nociuus fuerit Religionis neglectus, siue dissimulatio. Videantur nunc residuæ splendidissimarum Ciuitatum incendio absumptarum parietinæ, oppida amœnissima, aceruis lapidum cinerumque squallentia, pagi colonis viduati, & qui antea Cerere & Baccho fœcundi, iam ijs prorsus destituti, campi quòd cadaueribus plerumque turgidi, sulco inepti: summa, libitinæ parentant omnia, tristis vbique rerum facies. Quid multis? quæ antea florebat fides & religio Catholica, modò in plerisque locis, proch dolor, exulat. Si sub initia coërciti fuissent deterrimi sequioris Religionis homines, res Principum Catholicorum iam fortè non essent creperæ, aut in arcto constitutæ. Videmus enim quo pacto fœderati Protestantes, Sueuica, Transyluanica, & Turcica, alij non nominandi, ostentent præsidia, altùm magnùmque spirent, rem velut conclamatam habeant, victoriam in antecessum canant, magno Cæsari, inclytæque domui Bauaricæ insultent, cœteros fœdere iunctos Principes, ac socios despiciant, Catholicas denique vires parui pendant. Sed, bonum factum, Cæsar

& Ba-

& Bauarus sui semper similes erunt, id est inuicti, precibus iunctas vires, veluti vmbonem furijs istis numerosissimis opponunt. Non enim Dño difficile saluare vel in multis,
1. Reg. 14. vel in paucis. quod ipsum tũ alias, tum maximè in gloriosâ illâ Pragæ deditione verum esse deprehendimus (quam
Anno 1620. deditionem accidisse notatum est, cum in Codice Euangelij in Missâ legeretur: *Reddite quę sunt Cęsaris Cęsari, & quę Dei, Deo*) infinitis propemodum hostilibus copijs occi-
Domin. 22 post. Pentec. sis, cum vix centum milites è Cæsarianis desiderarentur. Verùm, fluentibus annis, & bellis nihilò segnius sæuientibus, scimus, quam manustrenuum se præbuerit BAVARVS, dum octidui, ad summum spatio, quo in conspectum Aûstriæ venit, nonnullam eius partem, quæ magis Lutheranismo, & Caluinianismo fauebat, fortiter occupauit, pristinæ libertati restituit, & ad Cæsarem veluti postliminio redire iussit. Septem enim in eâ Vrbes, Monasteria aliquot, multa Oppida, arces plurimæ, pagorum multitudo ingens, denique omnis illa Prouincia, quæ fluminibus munita, aut montibus clausa, virtute BAVARI subiugata est. Nolo pluribus in hac digressione cætera Serenissimi MAXIMILIANI Bauarię Ducis præclarè fortiterque exinde gesta diducere: sufficiat solum intelligere encomium ipsi datum, à S. D. N. Paulo Papa V. in responso ad ipsius litteras, quibus illum de deditione Pragæ certiorem reddebat. Vtriusque porrò litterarum series talis erat:

Epistola Ser. Bauarię Ducis Maximiliani ad SS. D. N. Paulum V. Pont. Max.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Clementissime.

POst humillima Beatorum pedum oscula. Respexit tandem D. O. M. Ecclesiam suam, eiusque hostes debellauit, & fregit, Illustri sanè victoriâ, quæ iure merito

victoria Dei vocatur; Ego quidem & veni, & vidi, pugnæque præsens fui, sed vicit optimus Deus, cui omnem victoriæ titulum, gratissimâ mente ex solito adscribo, verè manus Domini nobiscum fuit, quæ hostem tam potentem & loco tam munito sese opponentem deuicit. Nec sine singulari Dei prouidentiâ factum videtur, quod cum hoste congressi simus ipso Sanctorum omnium octauo die, qui idem fuit cum dominicâ vigesimâ secundâ post Pentecosten, quo Euangelium ritu Romano prælegitur: *Reddite ergò Cæsari, quę sunt Cæsaris*. Reddidit certè Palatinus Elector, quamuis inuitus, qui vbi cladem sui exercitus accepit, vnà cum coniuge, Pragâ cessit, & vel hoc ipso, Catholicum agmen vicisse professus est. In quâ Dei victoriâ quædam prorsus admiranda contigêre. Hostis erat numerosus, nec veterani militis robore carebat, hunc etiam locus ipse fecit audacem. Nam in monte vrbi Pragensi contiguo, instructissimam contra nos aciem direxit, & quamuis ego cum vniuerso exercitu, tota penè nocte iter fecerim, hoc solum fine, vt hostem assequi, & cum eo confligere liceret, conflictus tamen initio admodum iniquus videbatur & impar, cum hostes in opportunissimo sibi loco, nec minus munito, facilem in nos pugnam sortiti essent. At demum præmissâ deliberatione ante omnia Deo fidendum, & ope diuinâ nitedum esse rati, ex iniquo etiam & inferiori loco hostem cominus aggressi sumus. Videbatur quidem noster exercitus sub initium nonnihil nutare, sed mox resumptis animis & alacritate, iuit in hostes, & eos è monte profligauit, tormenta ænea maiora occupauit, omnibus aduersæ partis aut cæsis, aut in fugam actis, ita dispersi fusique ad internecionem vsque deleti sunt, nec prius destitere nostri, quam fugâ dissipatos ad ipsam vsque vrbem insecuti, variâ in eos cæde grassarentur.

numerus quoque cæsorum excreuit, vt plura millia interfectorum numerarentur, cùm à parte nostrâ vix centum desiderati, plures tamen læsi sunt. Præter tot ex hostium numero cæsos, aliquot capti, inter alios Principis Anhaldini Filius natu maximus, qui etiam grauiter læsus est, duo Comites & plures Nobiles & Capitanei.

In eadem pugnâ præter centum vexilla, decem quoque maiora curulia tormenta hostibus erepta sunt. Hungari, multis iam eorum prostratis, vt fugâ se seruarent, in Moldam flumen sese præcipitarunt tranaturi, sed mille circiter in aquis interijsse dicuntur, & quidem pugna ad horam tenuit, die, vt dictum, octauo omnium Sanctorum, qui sese de suis hostibus insigniter sunt vlti die sequenti, qui fuit nonus, quibus & Dedicatio Basilicæ Saluatoris, Ciuitas Pragæ, deditionis ad me misit literas, se in Cæsaris potestate post hâc futuram.

Alterâ ab hoc die, tã vetus, quàm noua Praga, (est enim tripartita Ciuitas), obedientiam Imperatori sine exceptione omni promiserunt. Hodie quoque Regni Bohemici Status, Comites, Barones & Nobiles crimen publicè deprecati, mihi nomine Cæsaris, nouum homagium promiserunt, & Confœderationibus omnibus, tam cum regno Hungariæ, quàm alijs initis renunciauerunt, ipsaque Confœderationum instrumenta ad meas manus tradiderunt. Itaque in hoc anno, Deo soli laus, Austria superior omnis, Cæsari subiecta, inferior tranquillata, & ab hoste liberata, & complures Bohemiæ tam vrbes, quàm arces captæ, ante Pragam hostilis exercitus profligatus, Praga occupata, & Status Regni Bohemiæ in Imperatoris fidem & obsequium reducti.

Hæc S. V. compēdiò narrare, simulque Ecclesiæ Romę gratulari par erat. Interim S. V. submissè, & plurimum

me commendo, atque ad pedum osculum reuerenter submitto. 12 Nouemb. 1620. *Subscriptum: S. V. Deuotus & obsequentissimus Filius & Seruus* Maximilianus.

Responsum S. D. N. PAVLI V.

Dilecto Filio, Nobili viro Maximiliano Duci Bauariæ,

PAVLVS PP. V.

DILECTE Fili, Nobilis vir, fœlicissimum, & suprà quam dici potest, nobis & vniuersæ Christianæ Reipublicæ optatissimum Pragensis victoriæ nuncium attulerunt litteræ tuæ, quam quidem victoriam, vt de immensâ Dei potentiâ confidentes, non dubiâ spe præsumebamus, ita nunc de eâ tam copiosè, tam mirabiliter parata, immortales ei, qui facit mirabilia magna solus, gratias agere non desistimus, Tibi verò in visceribus Iesu Christi, vnicè dilecte Fili, totius Ecclesiæ nomine, cui immeritò præsidemus, ex intimis præcordijs gratulamur, quòd nimirum res adeò præclaras tam fortiter, tam breui tempore gesseris, vt quemadmodum scribis, veneris, videris, & Deo duce viceris perfidos Christi hostes, & Romano Imperio Rebelles. Laudet, Fili, vsque ad mortem anima mea Dominum, quoniam adiutor & protector factus est nobis. Equidem, Nobilitatis tuæ litteris lectis, toto spiritu in Domino exultantes Ecclesiam Sanctæ Mariæ Maioris petiuimus, ibique humiliter prostrati, cum lacrymis de summo accepto beneficio debita persoluimus, tum auctori omnium bonorum Deo, tum eius sanctissimę Matri Misericordiarum, & Reginæ Sanctorum omnium, in quorum solemnit. octauo die, victoriam diuinitus tibi delatam fuisse scribis, vt minimè dubitandum sit, quin tibi pro Gloriâ Dei strenuè dimicanti, cœlestis exercitus auxilium, illa die præsens adfuerit. Ad huius porrò beneficij magnitudi-

nem, quàm grato possumus animo prosequẽdum, solemnes indiximus in hac vrbe supplicationes, ab Ecclesia S. Mariæ, quam appellant supra Mineruam, ad Ecclesiam S. Mariæ de Animâ, ad quam nos veniẽtes, sacrosanctum Missæ sacrificium Omnipotenti Deo in gratiarum actionem obtulimus. Nullum certè erit tempus, in quo collati eximij doni memoria ex animo nostro deleatur, quin semper in dies magis, magisque vigebit, sicut & illustris tuæ virtutis, tuorumq́ue gestorum immensa gloria, perpetuò nobis ante oculos versabitur, omnisq́ue cõsequens ætas meritis illam laudibus celebrare non desistet. Nec est quod aliquo pacto vereamur, ne ista tua virtus vnquam defatigetur, quin firmiter sperare debemus, eam ex ipsis pro Christi, atque ipsius Ecclesiæ honore, fœliciter susceptis laboribus, maiores quotidie vires accepturam, deq́ue Christianâ republicâ maiori etiam, si fieri posset, conatu optimè promereri nunquam cessaturam.

Quò sanè fiet, vt antiqua Bauaricæ familiæ decora tuis egregijs factis in dies exornentur & cumulentur, & ipso temporalis atque etiam æternæ fœlicitatis amplissimum præmium, ab eo, qui est liberalissimus remunerator consequeris. Nos certè tantum Nobilitatis tuæ merito tribuimus, vt quæ vnquam à Nobis, atque ab hac sancta Sede in te, tuamque familiam proficisci poterunt, ea semper vobis parata fore pro certo habeas, velimus.

Interim, Nobilitati tuæ à Domino secunda omnia optamus & precamur, & iterum paterna nostra benedictione, toto cordis affectu benedicimus.

Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem.

3. Decemb. 1620. an. 16.

CAP.

CAP. XII.

Monitum S. Concilij Tridentini ad Reges & Principes, vt iura Ecclesiastica, resque Ecclesiæ tueantur.

Etiam interiungo; stylumque in tenebricosos hæreticos abrumpo. Clariori liceat paulisper frui, antequam ad alios Ecclesiæ Mastiges decurrat oratio, iubare Catholicorum Principum, qui vel ipsi alios cohortantur ad tutelam S. Matris Ecclesiæ, vel ipsimet Parænesim Ecclesiæ Prælatorum ambabus, quod aiunt, vlnis excipiunt. Admonet igitur Sacrosancta Synodus Imperatorem (qui filius Ecclesiæ dicitur, item Aduocatus & defensor, vt ostēdimus tractatu Vindiciarū libertatis Ecclesiasticæ) itē Cap. 20. sess. vlt.
„ Principes & Respub. omnes denique & singulos, cuiuscumque status & dignitatis exstiterint, vt quò largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt exornati, eò sanctius, quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcipua eiusque patrocinio tecta venerentur, nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijsve Dominis temporalibus seu Magistratibus maximèque Ministris ipsorum Principum lædi patiantur, sed seuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque Iurisdictionem impediūt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, Religionem, Ecclesiarumque protectionem existāt, imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ suâ inprimis auctoritate ac munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum iniuriâ vindicauerūt. adeoque eâ in re quisque officium suum sedulò præstet quò cultus diuinus exerceri, & Prælati, cæterique Clerici, in residentijs & officijs suis quieti & sine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant,

674

Quæ certè Parænesis summâ nititur ratione. Mirum enim quantum refert, Principem palàm profiteri se esse verè Catholicum, & orthodoxæ fidei, ac rerum Ecclesiæ acerrimum defensorem: nam planè fit, vt hæretici tum erubescant, tũ etiam timeant videri se alterius sectæ fidei, Principis aduersariæ assectatores: indeque accidat, vt vel timore correpti, recantent palinodiam, vel rubore suffusi, sileant, lateant, & procul aliò abscedãt. Contra, si eis gratas præbuerit aures, noua, spe fauoris Principalis, attentabunt, nihil non audebunt, & tandem cuncta pro arbitrio gerent.

Hoc satis intellexit *S. Ludouicus* Francorum Rex, dum sub exitu vitæ filio suo nedum defensionem & propagationem Ecclesiæ Orthodoxæ commendauit, verumetiam illius tranquillitatem & singularem erga illam reuerentiam, atque pietatem ergà Matrem Ecclesiã ipsius animo instillauit; vti ex verbis eius cedro dignis didicimus: Enitere, inquit, vt omnes subditi tui in pace & tranquillitate conseruentur sine oppressione & molestiâ, præcipuè autem viri Ecclesiastici & Religiosi. Enimverò à Philippo Augusto auo nostro id referri audiui, quòd cum vnus Consiliariorum eius illi suggessisset viros Ecclesiasticos multa illi damna inferre, iura Regis vsurpantes; seque mirari diceret, quod Rex tam grauia mala toleraret, respõdit illi Rex: Credo equidem ita rem se habere, vt dicis, verumtamen, cum amplissima Dei erga me beneficia reuoluo, malo aliquod iuris mei dispendium, aut rerum mearum damnum pati, quam inter me & Ecclesiam dissidium & scandalum suscitare. Illius itaque exemplo ama fili synceriter Ecclesiasticos viros, illorũque pacem; quantum sinit æquitas, semper asserua. Monitum herclè quod velim iam menti *Ludouici* moderni Regis insculptum! Suscipe Rex magne tandem cogitationem S. Ludouico

S. Ludouicus cõmendat filio Ecclesiæ defensionem, & trãquillitatem.

&c alijs

& alijs maioribus tuis Ecclesiæ Romanæ Protectoribus dignam, pietate etiam tuâ, quam à teneris imbibisti, consentaneam. Reges Franciæ in Hispaniâ, Germaniâ, Vngariâ, Italiâ, adeoque Asiâ & Syriâ pro Religione res maximas gesserunt, hæreses domi & foris profligarunt, fœdera cum rebellibus hæreticis inire nunquam sustinuerunt. Idcircò imperium ipsorum propagauit Deus, neque insidijs, seditionibus, & cruentis domi bellis obnoxium fuit. Omnia enim prospera eueniunt colentibus Deum & ipsius Religionem, aduersa spernentibus.

Iustinianus curã Ecclesiæ habet,

Ast, nectamus paris erga Religionem Catholicam affectus exempla. Et inprimis *Iustiniani Imper.* Is igitur ita de se: *Nos omni prouidentiâ curam Ecclesiarum gerimus, per quas & Imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei, ac gratiam muniri credimus.*

Nouell. const. 42

Epist. 73

Leo Imper. filio commẽdat Ecclesiam.

Aduocemus huc *Leonem* etiam *Imperatorem*, filiũ suum *Leonem Augustum* sic admonentem: *Cum clementiam tuam Deus tantâ Sacramenti sui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Præclarum herclè documentum.

Reges Galliæ, Ecclesiã protegentes victores extitere.

Si Galliã rursum spectemus, animaduertemus, quamdiu illius Reges defensores, & propagatores vixêre, vti *Pipinus*, & *Carolus Magnus*, qui legibus, armis, multoque sanguine bona Ecclesiastica illibata seruarunt; redditos „ esse omnes eorum hostes infirmos, & iugo submissos, pro„ pagatum esse Regnum, nomenque Francorum summâ „ gloriâ toto orbe diffusum; vbi verò direptione rerum Ec„ clesiarum aduersus Deum conflatum est bellum; imbelles „ populos, Reges socordes, & obtusa facta esse eorũ arma; „ hostes verò eorũ in capite, Sacerdotes verò gementes; in„ ter quos, & qui huic *Meldensi* Consilio interfuêre Franco-

rum

„ rum Episcopi, has luctuosas emisisse voces: *Magnoperè*
„ *cauendum est, ne tam manifesta religionis destructio, Regni hu-*
„ *ius fiat desolatio, cùm manifestissimè scriptura demõstret, Oziam*
„ *morte damnatum, quòd Arcam Domini quasi cadentem releua-*
„ *re voluit, quam vel contingere ei illicitum fuit.* Hactenus emi-
nentissimus Cardinalis Baronius.

Tom. 10 *annal. an. Chr.* 845.

Inter alia Edicta Concilij primi Prouincialis Mediolanensis, quod sub *Pio IV.* Pont. Max. habuit Cardinalis Sta mem. *Carolus Borrhomæus* anno Christi 1565. meritò istud insertum esse, videmus, quo Principibus summoperè commendãtur omnes Ecclesiasticæ personæ, & eorum bona, libertatem, commoda, ac iura omnia: admonentes Ecclesiasticam immunitatem, siue ad hominum vitam, siue ad bonorum possessionem, fructusque pertineat, Dei ordinatione, summorum Pontificum decretis, & Sanctorum Conciliorum auctoritate tributam, nulla ratione violandã esse. Neque enim Principes & Magistratus in res Ecclesiasticas attentare, neque sacros & religiosos homines ad suum iudicium potestatemque euocare, neque Deo addictis bonis manũ inijcere, aut vllũ onus imponere debẽt, immò verò meminisse oportet, quas à Deo facultates consecuti sunt, eas ad ipsius Dei gloriam & honorem, hominumque sacrorum salutem & incolumitatem conferendas; qui pro eorũ quiete ac fœlicitate Deo preces assiduè faciunt. Enimuerò, *qui persequuntur Ecclesiasticos, Christum persequuntur; nam cum per assiduam communicationem corporis & sanguinis Christi in ipso maneant* (vt scribit D. Hieronymus) *& ipsi in illos, quidquid faciunt, vel loquuntur, aut patiuntur in Christo eos loqui, vel agere, aut pati, cuius sunt membra credendum est; & quidquid eis illatum iniuriæ fuerit, Christo similiter irrogari.*

S. Carolo Borrom. Ecclesiã suam Principibus cõmendat.

Qui persequũtur Ecclesiasticos Christũ persequũtur.

Cognoscant ergò Principes seculi, Deo se reddituros rationem

propter

Principes reddēt rationē Deo ob defensionem Ecclesiæ neglectam.

Pōtifices vbi bellis conflictātur ad Reges Gallos confugiunt.

ex Principes 5. cognoscant 23. quæst. 5.

" *propter Ecclesiam quam Christo tuendam suscipiunt; nam siue* " *vigeat pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue sol-* " *uatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam tra-* " *didit Ecclesiam.* Quæ postrema verba sic sunt capienda, quod Ecclesiæ corpus duas habeat potestates, Sacerdotalem videlicet, & Regalem: vt quod non præualent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, hoc seculi potestas imperet per disciplinæ & militiæ terrorē. hac confidentiâ Pontifices Romani ad plerosque Galliæ Reges, vbi bellorum exagitati fluctibus erant, veluti ad sacram anchoram confugerunt. Testes sunt Stephanus 2. qui ad Pipinum, Adrianus 1. ad Carolum magnū., Ioannes VIII, ad Carolum Caluum, Stephanus V. ad Ludouicum pium, Gelasius II. ad Ludouicum Crassum, Eugenius III. ad Ludouicum VII. Gregorius IX. ad Ludouicum IX. alij denique ad alios, quos ceù ad asylum certissimum munitissimunque confugerunt. & quidem meritò. Nam *cum ad Christianos Reges pertineat, vt temporibus suis* (inquit, D. Augustinus) *pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, obligati sunt Catholici & Christiani Reges bello Religionis hostes aggredi, & hæreses armis, si aliter fieri non possit, exterminare.*

Deus fauet Principibus religionē tuētibus.

Sub anno Christi 411.

Enimuerò, apparet (vtar verbis eminentissimi Cardi- " nalis Baronij) quam verissimum atque certissimum sit, " tunc Deum tueri atque curare Principes, & eorum regna, " cum ipsi sedulò pro religione laborant: contra verò, cum " id negligitur, vel humanâ prudentiâ (quæ ex Apostoli " sententiâ, Deo inimica est) in religionem peccatur, ipsa " imperia in deterius prolabi, penitusque consumi: quæ " omnia in *Honorio* Imperatore breui temporis spatio appa- " ruêre perspicua. Etenim, cum primum pressus angustijs, " hæreticis indulsit, atque Gentibus, Dei hostibus, vt securè

„ absque timore legum, quam quisque vellet sequi Religio-
„ nem, maxima hanc legem secuta sunt mala, nempè
„ clades Vrbis, & omnia funesta. Rursus verò, cum idem
„ Imperator facti pœnitens, eam reuocat legem, laborat
„ pro fide & vnitate Catholicâ, quam subitò mutata rerum
„ simul est facies, & quanta hæc subsecuta sunt bona? sæpè
„ videre contigit Christianos Principes paruifacientes Cen-
„ suras Ecclesiæ, & Ecclesiastica iura calcantes, robustissi-
„ mos licet pararint exercitus, atque classibus mare reple-
„ rint, aduersante illis Deo, omnium iacturam fecisse, non
„ hostibus tantum pugnantibus, sed ipsis etiam elementis in
„ vltionem violatæ Religionis exurgentibus, & sacrarum
„ legum contemptum ac Dei Ministrorum oppressionem
„ vlciscentibus: sed vtinam seculum nostrum eiusmodi ca-
„ reret exemplis! *Ita Baronius.*

Spernētibus cēsuras Ecclesiæ aduersa eueniūt.

Porrò optima defendendi Religionem hæc est, aut hæreticos non admittere, quod procliue quidem est, aut si negligētia fortè an insinuarint se, mox illos exigere conuenticulaque omnia ac disputationes, quæ in illis plerumque fiunt *l. 4. C. de summa Trinit. l. 29. C. de Episc.* interdicere Omne, enim malū nascens facile opprimitur; inueteratum fit plerūque robustius. Itaque retractanda esset Constitutio Impp. Arcadij & Honorij, sic statuentium: *Cuncti hæretici proculdubio nouerint omnia sibi loca adimenda esse, &c.* & Impp. Gratiani Valentin. & Theod: *Nullis hæreticis* inquiunt, *ministeriorū locus, nullam ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiam si quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere, impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ. Unius & summi Dei nomen vbique celebratur.* ô aurea omnia, & digna quæ Principum omnium vestibulis inscribantur!

Ratio optima defendēdi Religionem.

L. 3. C. de Hæret.

Egregia Impp. Constitutio.

CAP.

CAP. XIII.

Antiquiores recensentur Ecclesiæ Mastiges.
Vltio in eos diuina.

SI Ecclesiæ Dei tantus debetur cultus & Reuerentia, quo putas scelere se alligant, qui illam latrocinijs extenuare, spoliare, iuribus priuare, facultatibus nudare, litibus vexare, modis iniustissimis supplantare student? tempus stylusque mihi deficeret, si quæ historicis narrãtur exempla, quibus liquidum est, nedum Regnorum suorum amissionem sibi accersiuisse, sed etiam diuinam vltionem istos Ecclesiæ Mastiges cũ perpetuâ nominis sui ignominiâ subijsse, producenda essent: In medium tamen insigniora quædam proferam, & primum à sacris exordiar.

Exẽpla Diuinæ Iustitiæ in sacrileges. Oziam Regem sacrâ paginâ memorat lepra percussum esse, quod Sacerdotibus contumeliosus fuisset. In Daniele Prophetâ, legitur pro eo quod *Balthazar* Rex, & optimates, & vxor eius, biberant in vasis aureis & argenteis, quæ Nabugodonosor Rex templo Hierosolomytano exportauerat, apparuit manus scribentis in pariete, *Mane, Thecel, Phares*: hoc est, quod Deus numerasset regnum suum, & compleuerat, & quod appensus esset in staterâ, & inuentus minus habens, & diuisum esset regnum eius, & datum Medis & Persis. vnde eadẽ nocte interfectus est; & successit Darius Medus in regno, atque inde facta translatio Monarchiæ Assyriorum in Medos. De *Naboth* optimo viro nota historia, quem legimus interpellatum quidem à Rege Samariæ *Achab*, vt vineam suam ei daret, & cum dare nollet, occisum quidem iussu Iezabel vxoris Regis, sed quæ sit vltio diuina illam secuta, sacra narrat pagina. Quâ quidẽ historiâ permotus D. Ambrosius, *Regi Gothorum* seu

Cap. [illegible] *3. Reg.* [illegible]

„ eius ministro petenti res Ecclesiæ suæ sibi cõcedi, respon-
„ dit: Si quod meum est, peteret Rex, non denegarẽ, quam-
„ uis omnia mea pauperum sint, sed quia quæ Dei sunt po-
„ stulat, in quibus Rex potestatem non habet, potius volo,
„ vt me in carcerem mittat, & vitam mihi auferat, quam il-
„ las ipsi concedam. *Et postea addit:* Si ille (*Naboth.*) non
„ tradidit vineam suam, nõ trademus tibi Ecclesiam, & bona
„ Christi: absit à me vt tibi tradam Christi hæreditatem: non
„ tradidit *Naboth* vineam, nec ego tradam eam quæ Christi
„ est Ecclesiam. Sed quam vltionem subierit *Iezabel* vxor
Regis *Achab* quæ impium Regi suggesserat consilium, sa-
cer Codex memorat, dum insepultam mortem ei nunciat
Propheta, & quod canes eius carnes comederent.

Similem quoque diuinam vltionem cõminatur Petrus
Damianus Episcopus Hostiensis *Henrico* Germaniæ Regi,
„ Ecclesiam suam affligenti, his verbis: Cauendum est ô
„ Rex, ne dum tu pateris diuidi sacerdotium, tuum quoque
„ diuidatur Imperium. Nam sicut sacra testatur historia,
„ mox vt Saul, apprehendit summitatem pallij Samuelis, & *1. Reg.*
„ scidit, protinus illi Samuel: Sic, inquit, scidit Dominus re-
„ gnum Israel hodie à te, & tradidit illud proximo meliori
„ te. Porrò, sicut pallium istud, vestis erat Samuelis: sic &
„ Sancta Ecclesia est vestis vtique Saluatoris: pallium igitur
„ Samuelis Saul abripuit, & regnum perdidit; Christi iam
„ sciinditur vestimentũ, & tamen inconsutilem vestem Iesu
„ miles gentibus metuit scindere, & Christiani non verẽtur
„ Ecclesiam per errorem schismaticorum (*dicam Pseudopo-*
„ *liticorum hodiernorum*) separare? Cum ergò vestis Christi *Tom. xj.*
„ sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis minatur diuisionem *Annal.*
„ potestatis. Hinc est fortè quod Vrbes, Oppida, siue Pro- *an. Chr.*
„ uinciæ, huius regni ab exteris quotidie cernimus nationi- *1064.*
„ bus vsurpati. *Ita ille apud Baronium.* *nu. 14.*

Quid

Quid porrò aptius his temporibus dici potest? Confirmantur hæc eleganti monito Petri Blesencis apud eundẽ
„ Baroniũ: Quæ ratio est, inquit, vt qui pro Ecclesiâ pugnant
„ Ecclesiam spolient? putantne insipientes, & miseri, quod
„ Christus, qui summa iustitia est, velit sibi de iniurijs & sa-
„ crilegio exhiberi sacrificium, aut sustineat commissa ex
„ his spolia prosperari? si enim testimonio veritatis in ignem
„ æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit, vbi quæ-
„ so mittendus est, qui bona pauperum, vel Ecclesiæ rapuit,
„ aut fraudauit? *Ita ille*: & veriloquio hoc concludit. *Nun-*
„ *quam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia, prosperum habuerunt euentus auspicium.*

Refert etiam Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis,
„ Comitem Matisconensem, qui occupauerat tyrannicè res *Petrus*
„ Ecclesiarum, raptum die solemni à dæmone, qui in formâ *Gregorij*
„ equitis cum equo nigro aduenit, ingressus eius domum *lib. 13.*
„ ostio eum eduxit inuitum, iussit equum conscendere, *de Re-*
„ inque aëra sublimauit, nec vnquam posteà comparuit, in *pub. c. 17*
„ cuius rei memoriam ostium, quo eductus est fuit obtura- *nu. 26.*
„ tum. Quod cum Ogerius Guilhelmi Comitis procurator
„ ob aliquam Reipublicæ necessitatem vellet reserare, qui
„ operas locauit eius rei causa, dum cœpit demoliri raptus à
„ dæmone iterum est & in aërem elatus, postmodum lapsus
„ collisusque est, manu, quâ id tentauerat, cõfractâ, ob quod
„ miraculum rursus ciues in perpetuam rei memoriam iusserunt obturari, atque eius Comitis filius, Ouido nomine
„ cum triginta militibus venit Cluniacum & cum his, illius
„ Religionis habitum suscepit. *Hæc ille.* *Epist. 10*
„ Finem faciã huic Capiti, insigni D. Ignatij dicto. *Si enim*
„ *jure censebitur pœna dignus, qui aduersus Regem insurgit, vt qui*
„ *violet bonas legum Constitutiones, quãto putatis grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam &*
„ *fœdera rumpens, & decentem ordinem confundens.*

CAP. XIV.

Miser exitus Valentis Imper. haeretici Ecclesias Orientalis Imperij usurpantis.

VAlens in Orientali Imperio potētissimus Imperator, eiusdem vltionis diuinæ, ob violata Ecclesiæ iura luculentum nobis præbuit exemplum. Refert enim Sozomenus, huic Valenti bellum in hostes administraturo eoque egredeunti Vrbe Contanstinopoli obuiam factum Isaacium Monachum celeberrimum, atque in periculis pro Deo contemnendis spectatissimum, qui illum sic affatus est: Redde ô Imperator Orthodoxis Ecclesias, quas illis abstulisti, & in bello victor eris. Imperator autem (verba sunt Sazomeni) ei vehementer stomachatus, iussit comprehendi, inque custodiâ teneri vsque ad reditum, quo pœnas pro facinore admisso ab eo sumeret: cui respondens Isaacius, Non es, inquit, reuersurus, nisi Ecclesias reddideris: quod quidem ita euenit. Nam, vt primum cum exercitu egressus, Gotthi qui cum eo erant, ab hostibus in fugam conuersi, pedem retulerunt, ille autem abscedens relictâ Thraciâ, venit Adrianopolim. Cum verò non lōgè abesset ab hostibus, qui in loco tuto castra posuerant, celerius aliquantò, quam debuerat, prælio cum illis congreditur, ante animo neutiquam complexus, vel quo modo, vel versus quam partem exercitum instrueret. Quare equitatu eius dispersio, & armatis in fugam cōiectis, hostes eum persequuntur; ille inter fugiendum de equo desiliens cum paucis, qui eum comitabantur, in quandam paruam domum, vel turrim irrepsit, ibique delituit. Barbari autem currunt post eum, quò hominem comprehendant: & paulò longius insequentes, domum, in quâ erat,

Hist. Eccles. lib. 6. c. 40.

Valens Imp. incendio absumptus propter vsurpatas Ecclesias.

„ erat, prætergressi sunt, nam haudquaquam, suspicabantur eum ibi latitare. Iam verò, cum maior pars barbarorũ
„ eum locum prætерijsset & pauci iam à tergo reliqui essent,
„ quidam eorum, qui cum Valente erant, tela rursus in eos,
„ qui fortè pertransibant, conijciunt. Illi eam ob rem Clamare: hic Valens est. Quod cum illi, qui propius fortè
„ abierant, audiuissent, clamore vt ante, tum post sublato,
„ his qui erant proximi rem significabant: adeò vt breui hostes, qui longius abessent, audiuerint, in vnumque omnes celeriter conuenerint. Domo igitur circumsessa, &
„ magnâ lignorum strue cõportatâ, ignem inijciunt, flammâ autem secundo vento delatâ, totam materiem peruasit, pariterque res in domo repositæ flammam conceperunt, quæ & Imperatorẽ ipsum, & eius comites incendio
„ absumpserunt. *Ita Sozomenus.*

CAP XV.

Vltione diuinâ correptus Aurelianus Imper. Romanus.

Aurelianus priuatur facultate scribendi.

VErùm, quoniam nobis est propositum aliquot Capitulis in scenam alios producere, in quos diuinitus animaduersum ob Ecclesiam Dei temeratam, *Aurelianum* Imperatorem Romanum acerrimum Christiani nominis hostem in medium proferemus: quem cum litteris contra Christianos manu propriâ subscriberet, subitò vltio diuina cunctis videntibus occupauit. Statim enim atque
„ (verba sunt Baronij) calamum sumpserat, vt dirum facinus exequi mandaret, cõmissuris brachiorum eneruatis,
„ ab incepto desistere coactus est, sui perinfame præbens
„ spectaculum, cœterisque mundi Principibus, & documentum posteris, ne quid contrà Christi Ecclesias, &
„ Christianorum bona & facultates moliantur.

Baron. tom. 2. an. Chri. 272.

Reuol-

6r4

Reuoluantur omnes historiæ & Annales superiorum temporum, comperiemus nullam ætatem immunem fuisse ab Ecclesiæ persecutoribus, sed nec illos vltionē etiam diuinam euasisse: id quod præclarè Venerabilis testatur Beda, his verbis: *Quod occisis pro Domino pueris Herodes non „ longè post obijt, & Ioseph monente angelo Dominum cum Ma- „ tre ad terram Israel reduxit, significat omnes persecutiones, quæ „ contrà Ecclesiam erant mouendæ, ipsorum persecutorum morte „ vindicandas.* Sed hoc ipsum probemus aliarum nationum exemplis.

Tom. 17 in Hom. Hyemal. de Sāctis.

CAP. XVI.

Nonnulla referuntur afflictæ Ecclesiæ Gallicanæ exempla, & vindictæ diuinæ in auctores illatæ.

SVb annum Chisti 556. bella exorta erant ciuilia Regem inter *Childebertum* & *Clotarium* fratres, idque propter frigidum illud verbum, *Meum*, ac *Tuum*, malorū omnium seminarium: disceptabant enim inter se ratione diuisionis bonorum *Theodibaldi* Francorū Regis defuncti. Accidit „ autē, nobiles nonnullos, quò studiosiores se illis redderēt, „ bona Ecclesiæ Gallicanæ vsurpare, eamque ob rem ana- „ thematis vinclo à Patribus Ecclesiæ Gallicanæ innodari, „ atque iussos eorum senatusconsulto (quemadmodum re- „ fert eminentissimus Cardinalis Baronius) vt res Dei & Ec- „ clesiæ, ob quas eorum Antecessores immaturâ credeban- „ tur morte interijsse, restituerent, ni consimiles maiorum „ suorum flagitijs pœnas, & insperatam mortem subire „ vellent. Interim paucis post annis, immane quantum con- „ cussionum & rapinarum tēpore *Chariberti* successoris ibi- „ dem acciderit. Nam cum frequentium bellorum occa- „ sione

Anno Christi 556.

An. 570.

„ sione (verba sunt eiusdem Baronij) non esset in Regijs
„ thesauris, vnde Princeps militantibus satisfaceret, bona
„ Ecclesiæ inuaserunt, illa à Rege petentes, vel sponte ea-
„ dem vsurpantes. Quibus malis, vt occurrerent Patres Ec-
„ clesiæ Gallicanæ, decreuerunt illos etiam ipsos Reges &
„ Principes, qui res tam Ecclesiæ, quam Episcopi vel Ab-
„ batum, aut Monasteriorum, siue præsbyterorum resti-
„ tuere differrent, à communione fidelium repellendos.
„ Cum enim alia nobis arma non sint (inquiunt Patres)
„ gladius disciplinæ distringendus est, vt quos metus diui-
„ nus non tangit, spiritualis certè vltio coërceat: conuenit
„ enim necatoribus pauperum psalmographi carmen, cuius *Psa. 108.*
„ initium: *Deus laudem meam ne tacueris, &c.* vt verè sit
„ super eum illa maledictio, quæ super Iudam venit, qui
„ cum loculos ferret, subtrahebat pauperum alimentum:
„ vt non solum excommunicatus, sed etiam anathema mo-
„ riatur, & cœlesti gladio feriatur, qui in despectu Dei,
„ & Ecclesiæ, & Pontificum, in hac peruasione præsumit
assurgere. Hæc Sancti illi Patres, quorum decreta Consilij
pluribus refert Baronius dicto loco, vbi etiam narrat ex
libris Gregorij de quodam Diacono, qui cum vsurpasset
„ inquit, Greges ouium B. Martyris Sancti Iuliani & incla-
„ mantibus Pastoribus eos esse Sancti martyris Iuliani, & ille
„ irridens respondisset, putasnè, quia Iulianus comedit
„ arietes? post multos dies, cum non religione, sed casu
„ transiens ante sepulchrum B. Martyris ibi obdormisset,
„ tantâ tamque ardenti febri correptus est, vt identidem
„ clamaret, se intrinsecus incendi per Martyrem, cumque
„ deprecaretur quantâ maximâ posset voce, iactari super *Apud*
„ se aquam, de cuius etiam corpore velut de fornace tantus *Baron.*
„ fumus & fœtor egrediebatur, vt tolerari vix posset, spiri- *dicto lo-*
„ tum exhalauit; *Ita Gregorius.* Itaque ex his, alijsque con- *co.*
N similibus

ſimilibus exemplis, cõſtat perpetuam ignominiæ notam, & maledictionem æternam illos ſequi, qui res Eccleſiæ inuadere tentant.

CAP. XVII.

In eadem Galliâ mirum refertur Dagoberti Magni exemplum.

Refert Magerus de Aduocatiâ armatâ.

SEd lubet nonnihil in Franciâ immorari, in quà occurrit adhuc nobis *Dagobertus Magnus* Francorum Rex, qui quod bonorum Eccleſiaſticorum inſignis fuiſſet direptor, cum ab hâc vitâ ad alteram migraſſet, iuſſus eſt diuinum ſubire iudicium, in quo pœnas æternas luiſſet, niſi interceſſio B. Dionyſij Martyris vindicem Dei manum retinuiſſet. Teſtem alium non aduoco, quam ipſummet Dagobertum, cuius anteactę vitæ pœnitẽtis extat diploma iſtud: „ Dagobertus Magnus, Diuinâ Clementiâ „ Rex Francorum, omnibus Regni ſui primatibus, imò „ cũctis Chriſti fidelibus præſentibus ac futuris &c. Notum „ facimus, quod patre meo Clothario defuncto: paterni reg„ ni curam ſuſcepi, ſed viuendi ductus leuitate, deceptus, „ Regalis officij debitum neglexi &c. Inter alios exceſſus „ meos, & Eccleſiarum Dei deſtructor & diſſipator eſſe cœ„ peram, nec diuinæ Maieſtatis oculos, nec hominum veri„ tus acclamationem, tandem Dei benignitas obſtinatæ „ mentis ſuperbiam conterens, virgâ correctionis iniqui„ tates meas correxit, & caſtigato mihi veniam non negauit. „ Nam raptus in ſublime, diuinæque Maieſtati inter choros „ Sanctorum, in habitu Iudicantis ſedenti, præſentatus à „ Sanctiſſimis Eccleſiarũ Patronis, pro rebus Eccleſiaſticis „ per rapinam à me diſtractis, & conſumptis, grauiter ſum „ accuſatus &c. Cumque cõſcientiâ grauatus, non auderem

delicta

„ delicta defendere, ex arbitrio præcedentis pœnæ sum
„ addictus, deinde cæso & pœnis grauioribus afflicto, suc-
„ currit mihi tandem specialis meus Patronus S. Dionysius
„ Martyr, qui precibus suis, & instantis pœnæ dilationem,
„ & pœnitentiæ mihi tempus obtinuit. Idem, quasi modum
„ pœnitentiæ imponens, in hoc mihi plenæ posuit indul-
„ gentiæ, si ad honorem Dei, & Beatorum Petri & Pauli
„ Apostolorum sanctorum, quos magis offenderam, do-
„ mum diuinis aptam seruitijs construerem: quâ permis-
„ sione lætatus, libens voui, dimissusque à superis redij.
„ Igitur sub certâ spe remissionis peccatorum nostrorum
„ reddentes alacri studio votum, quod fecimus, Ecclesiam
„ in honorem Sanctæ Trinitatis & Sanctæ Mariæ perpetuæ
„ Virginis, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in
„ loco, qui dicitur Weissenburg construximus, quod sub-
„ limare & regali munificentiâ ditare decreuimus. Dona-
„ mus ergò, & perpetuò dari volumus de rebus fisci illic ad-
„ iacentibus, quidquid ad nos spectat, tam in villis, quam
„ mancipijs, &c. Item nullus secularis ibi Iurisdictionem
„ habeat, &c. Illud etiam pari decreuimus auctoritate, vt
„ nullus Pontificum Nemetensis Ciuitatis, vel reliquorum
„ Episcoporum aliquam ibi dominandi, vel quaslibet cau-
„ sas agendi habeat facultatem, & sub nostræ immunitatis
„ defensione Pater Monasterij omnia possideat, homines
„ eiusdem Monasterij per fines nostri regni nulli Telonium
„ persoluant &c. Vt autem hæc inconuulsa permaneant,
„ chartam hanc adiectione sigilli nostri roboratam signaui-
„ mus. Datum in ipso Monasterio, mense Maij die vnde-
„ cimâ. Anno Regni nostri 23. *Hactenus ille.*

CAP. XVIII.

Aliud Chariberti Regis exemplum, nec non Childerici potentis aulici.

INdignum Rege, & tetrum euentu exemplum *Chariberti* etiam Francorum, cuius iussu missi cum essent eius equi ad pabula cuiusdam Ecclesiæ (res stupenda) dirâ mox rabie fuêre correpti, vti testatur Gregorius Turon. salubriter idcircò monens in hunc modum Principes: „Audite „hæc omnes potestatem habentes, sic vestite alios, vt alios „non spolietis, hoc adiungite vestris diuitijs, vt damna non „inferatis Ecclesijs, vindex enim est Deus velociter seruorum suorum. *Lib. 1. c. 28. de Mirac. S. Mart.*

Childericum etiam potentissimum *Sigiberti* Francorum Regis aulicum, legimus vindictæ quoque Diuinæ pœnas subijsse, quippè, qui propter violatam Ecclesiæ immunitatem, & bonorum Ecclesiæ Aquensis vsurpationem, regio morbo correptus est, & toto anno ingentibus doloribus cruciatus, barbâ & capite leui, tandem culpam agnoscens, erupit in hæc verba: „Peccaui, eo quod expoliauerim „Ecclesiam Dei, nunc autem ite, quantocyus, & redditâ, „quam vsurpaui, villâ, super tumulum Sancti Franconis „illius Municipij Episcopi deponite: est enim mihi spes, „quod redditâ re, tribuat ægrotâti medelam: quod audien„tes homines eius, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut fuerat „eis imperatum; reddiderunt agros, solidosque super se„pulchrum serui Dei posuerunt, sed cum hæc fecissent, „statim ille in loco, quo erat, spiritũ exhalauit, lucratusque „est detrimentum animæ per adeptionem acquisitionis ini„quæ. *Hactenus Gregorius Turonensis*, quem totidem verbis „refert eminentissimus Cardinalis Baronius. *De glor. Confess. cap. 71. Tom. 7. Annal. an. Chr. 579.*

Nectamus

Nectamus *Honoricum* Vandalorum Regem in Africâ. Is cum Arrianâ hęresi laboraret, cõplures Catholicos Episcopos, aut exilio mulctauit, aut morte affecit. verùm, non multò post in phthiriasim morbum incidit, scaturientibusque à corpore eius vndique pediculis, hoc supplicij genere, sceleris sui pœnas luit. B. Ful. gos. lib. 1.

CAP. XIX.

Imperio etiam Orientis non defuère Ecclesiæ Mastiges.

POssumus & ad illos leui diuerticulo transgredi, quos adhuc in Oriente insignes fuisse Ecclesiæ Mastiges deprehendimus. Ibi ergò Ecclesias video mirè per nonnullos afflictas, sed extrema improbitatis linea fuit illudere Sponso. *Iulianum* itaque Orientis Pręfectum Imperatorisque auunculum, nec non *Fœlicem* & *Elpidium* producunt Annales Græci, eosque diuinitus punitos ob sacrilegia commissa in templis à *Constantino* ædificatis. Nam sacrilegis istis dicentibus. Eccè, quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur, subitò vltio diuina eos secuta est. Siquidē *Julianus* visceribus putredine excesis interijt, atque stercus (ita Theodoretus,) non per posticas partes, sed per os blasphemiæ instrumentum emisit; *Fœlix* verò sanguinis ex ore profluuio miserrimè obijt, visus est enim medius crepuisse. denique *Elpedius*, vt auctor est Nicephorus, tãquam Reus affectatæ tyrannidis, post multas in carcere passus ærumnas, turpiter vitam finijt. ab omnibus execrandus & detestandus iudicatus. *Hæc ille.* Lib. 3. Hist. Eccles. c. 12. Baron. tom. 4. Annal.

Similis sæuitiæ in Ecclesiam Dei & citæ vltionis diuinæ in eodem Oriente, exemplum ostendit Eusebius de Imperatore *Maximino*. Is, vt cane peius & angue oderat Christicolas; ità nullo non crudelitatis & sacrilegij genere

„ nescio quomodo prius ingressa fuit in vineam viduæ, &
„ suâ manu exectum botrum comedit. Deinde docetur
„ vineam esse alterius. Inducunt legis, (quod est in rebus
„ eiusmodi,) auxilium, quæ vineam Imperatrici adiudicat,
„ si quid tale contigerit, Domino aliquod precium, vel
„ aliud iubet reddi: & iussu Imperatricis refertur vinea in
„ numerum suorum suburbanorum. Nec tacuit ad hanc
„ iniuriam Sanctus Chrysostomus, suadebat, supplicabat,
„ vt decebat eius philosophiam: Ne permittas, aiebat, vt
„ multi coacti te nouam vocent Iezabel, & quæ de Na-
„ both scripta sunt in veteri testamento. 3. Reg. 21. At illa
„ dabat respōsa, quæ erant plena impudentiæ, Romanæ
„ scilicet legis auxilium, & quæuis alia &c. Itaque præter
„ alias fictitias caussas, arripuit quoque hanc Eudoxia Im-
„ peratrix accelererandi exilij, (quem ferre non poterat,)
„ Sanctissimi Episcopi Chrysostomi, cui licet reprehensio
„ tum ista, tum aliæ mortis causam præbuerint, quadriduo
„ tamen post Eudoxia cessit è vitâ:

CAP. XX.

Alia vindictæ diuinæ exempla in Francorum Regibus.

REgredior in vicinam Franciam: in quâ comperio Francis imperitasse *Carolum Martellum* quem à summo Ecclesiarum promotore, mutato tandem animo malleum Ecclesiasticorum factum esse produnt historiarum monumenta, at quam horribili exitu perierit colligat lector ex Surio, cuius tamen historiam vero allucere negat Baronius. *Tom. 1. die. 20. Feb. in vita S. Eucher.*

Sed aliud certius occurrit exemplum, in *Ludouico Crasso*, qui cum à S. Bernardo monitus esset, atque adeò frequenter correptus, quod bona Ecclesiasticorum

non

non desineret vsurpare, & nihilò meliorem illum animaduerteret, vaticinatus est illiberum periturum: quod euenit. Filius enim Philippus à patre iam in regni consortium assumptus, paulò post equo vectus per vnius suis occursum cespitante, anno 1131. ex lapsu perijt, vt eruditæ & sanctę memorię Generebrardus Archiepiscopus ad Aquas Sextias scriptis suis commendauit, atque ita plerumque accidere solêre Ecclesiæ hostibus, nimirum vt liberis orbati moriantur, qui Rempub. & Ecclesiam Dei, suâ sæuitiâ perturbant præclarè R. P. Caussinus ostendit.

De Sacrar. electi. iure cap. 7. Lib. 1. de la Cour saincte in pr. 13. Ratio.

CAP XXI.

Aquitaniæ nobilitas Ecclesiæ iniuriosa, vt & ipse Dux. Comes etiam Robertus Flandriæ, Ecclesiæ suæ iniurius. Vt & Henricus II. Anglorum Rex: Ac tandem Ioannes Dux Brabantiæ: Qui pœnitentiâ ducti ad sanam mentem redierunt.

Baron. in Annal.

IN Aquitaniam transeo: Ibi circa annum Christi 866. mirum quantum exarsit inuidia *Nobilium* in Ecclesiasticos, quorum bona ac libertatem vi ac impressione vsurpabant, despicatui interim habentes patriæ iura, monitiones, ac sacrorum Canonum Constitutiones: Quæ caussa mouit Nicolaum Papam natione Romanum, vt epistolam
„ hanc memoratu dignam ad eos mitteret. Quamuis Do-
„ mini sit terra, inquit, & plenitudo eius, illæ tamen res, quæ
„ à pijs Principibus, atque fidelibus quibusque hominibus,
„ sacratis locis collatæ sunt, specialiter esse Domini sine
„ cunctatione creduntur, dum diuinis cultibus dicatæ, ac
„ Domino famulantium vsibus existere deputatæ cernun-
„ tur. Vnde in Dominum procul dubio committunt, &
„ ipsi præiudicium inferre probantur, quicumque has vsur-
„ pare, & sibi non legitimè vindicare non metuũt; nimirum

qui

„ qui cum à pijs quibusque locis res auferunt, Domino mi-
„ litantium stipendia subtrahunt: & dum subsidium Diui-
„ no cultui iugiter famulantibus adimunt, laudes Dominicas
„ quodammodo ab ipsis hominum faucibus abstrahunt.
„ Quamobrem vos rogamus & obtestamur, vt à tyrannide
„ remoti, sua singulis Domino sacratis locis sine dilatione
„ reddatis, & quisquis hæc sibi vindicat, Dominum inde si-
„ ne dubio habebit Iudicem & vindicem.

Hæc monitio adeò terruit istos Ecclesiæ Mastiges, vt ex infensissimis hostibus, necessarij atque amicissimi Ecclesiæ Aquitanæ facti sint. Procedente nihilominus tempore, vt est pleraque nobilitas impotens ac sui nimium plena, rursus liuor adussit *Guilielmum* Aquitaniæ Ducem, qui temporibus D. Bernardi fuit, si quis alius, magnus Aquitaniæ Ecclesiæ funambulus. Exturbauerat, inquit *Opuscu-lo de Ascen. mẽtis in Deum Grad. 6.*
„ Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, ex ditione suâ
„ Episcopos Catholicos omnes, & iureiurando sese obstrin-
„ xerat, nunquam pacem cum illis habiturum, & quia
„ nouerant omnes obduratum cor eius ad malum, & fero-
„ ciam ac superbiam hominis verebantur, nemo erat qui
„ eum admonere auderet. Placuit Domino per seruum
„ suum Bernardum, cor hominis visitare, & scintillam non
„ paruam diuini amoris in pectore ipsius accendere: conti-
„ nuò ex leone agnus, ex superbo humilis, ex pertinace
„ obedientissimus factus est. Ad vnum S. Bernardi verbum,
„ Episcopum Pictauiensem amicè complexus, in sedem
„ suam manu suâ reposuit. Et quod omnem admirationem
„ superare videtur, cum quæsiuisset à quodam Eremita re-
„ medium animæ suæ ob admissa peccata; & ille iussisset vt
„ loricam æream super nudam carnem indueret, & clauis
„ ita claudi sineret, vt nunquam illam exuere posset, con-
„ tinuò paruit; & missus ab Eremita ad summum Põtificem

694

„ pro absolutione recipiendà, dicto obediuit: & cum summus vel Pontifex suspicaretur eũ non ex corde pœnituisse, vel patientiam eius experiri vellet, iussit eum vsque ad Hierosolymam peregrinari, & à Patriarchâ eiusdem Ciuitatis petere absolutionem. Guilielmus mox iter arripuit, & mandatum Pontificis adimpleuit. Denique, cum ex potentissimo Principe, humilis monachus esset effectus, vix vllus fuit eius ætatis, qui eum animi demissione, patientiâ, paupertate, deuotione, & pietate superaret. Hæc videlicet est mutatio dexteræ excelsi. Hæc est vis ignis diuini, cui nullâ cordis obstinatione resistitur. *Hactenus ille.*

Ex chronico Bertini m. 5

Haud absimile legitur exemplum in *Roberto* Comite Flandriæ, satis alioqui erga Ecclesiam affecto: cum enim illius caussâ iter in terram sanctam suscepisset, fidei nostræ hostes oppugnaturus, & res suas in arcto vidisset constitutas, oculos iniecit in Ecclesiasticæ suæ ditionis bona: quâ re commoti Ecclesiastici, querimonias quantocyus exposuerunt Vrbano II. Pontifici Maximo, qui fulmen excõmunicationis in eum vibrauit, nisi ab incœptis desisteret. Religioni itaque ducens Comes committere se periculo excommunicationis, alia iniuit Consilia, & cum magnâ animi demissione Clero, & Ecclesijs satisfecit; ita

——— *Graue & immutabile sanctis*
Pondus inest verbis, & vocem verba sequuntur.

I. Lips. in Monit. & exempl. c. 2.

Quid in *Henrico* II. Anglorum Rege? Ille suspectus in cæde beati Thomæ Cantuariensis Antistitis, non facto, aut manibus eius, sed iussu consensuve patrata: & sæpè admonitus, ac renitens semper aut abnuens, ad extremum ipsâ conscientiâ salutariter adducente, ad ipsum locum sepulchrumque beati viri Cantuariam venit, atque ibi statim in terram, simul & lachrymas effusus, veniam pacemque petijt: Sancto deindè à pœnitentia impetu, ad cœtum

Mona-

Monachorum pergit, & multis precibus impetrauit, vt à singulis eorum, ordine, virgis vapularet. Quid dicam? stupeo, Rex fecit, sponte fecit; sui oblitus, dum Deum cogitat iudicem hominum, dum cœli præmia. O si hîc vilem, ibi beatum! imò & hîc, dum Deus ipso illo tempore eum attollit, Rege Scotorum à Ducibus suis victo, capto, & per triumphum adducto.

Consimili conscientiæ aculeo tactus *Joannes* Dux Brabantiæ, bona Ecclesiæ Leodiensi, in Ducatu suo existentia per summam iniuriam vsurpata, vtpotè prætextu belli inter Hugonem Episcopum, Clerum, atque Ciues Leodienses, restituit; vti habetur in authentico documento quod Archiuis Ecclesiæ Leodiensis de data Anni 1301. pag. 120. asseruatur.

Vtinam, & ter vtinam eâdem religione, qui nunc sunt Principes, mouerentur, aut certè monerentur ab ijs qui circa illos sunt, vt quas Vrbes, Oppida, loca, iniusto titulo Leodiensibus eripuerunt, restituant, & velut postliminio redire iubeant. Ostẽdemus, Deo dante, singulari opusculo, rationibus apertissimis, quibus nullus respondeat, à tẽpore Augustæ memoriæ Caroli V. & Philippi II. optimorum Principum, non solum Iurisdictionem Ecclesiasticam oppidò-quam immunitam, verumetiam territorium huiusce Diœcesis, & patriæ variè discerptum esse ab ijs, qui vt gobium in riuulis nostri S. Lamberti capiant, multis aquis se patiuntur aspergi, & contra quam sperabant, Mandrabuli more, iuxta prouerbium, res ipsorum succedant. Plumæ aquilarum sunt Ecclesiæ bona, quæ alias consortes nolunt, imò reliquarum alitum pennas deuorant.

CAP. XXII.

Germania non exsors iniuriarum in Ecclesiasticos, vt nec Hispania: auctores illarum vindicta coërcuit diuina.

CAeterùm, haud scio, an plura istius farinæ exempla promi possint, quam è Germaniâ, in quâ, pleraque vel eximiæ notæ nobilitas, spolijs Ecclesiasticorum Crœso ditior reddita est, sed an fœlicior? Vidimus superioribus annis, atque iam ægris oculis conspicimus, quantis bellis ardeat, & quam ad restim redacti sint illi qui spolijs gaudebant Ecclesiarum. Suggillare tamen neminem volo: noti sunt, & multo notiores facti, postremis hisce Germaniæ bellis:

Per mille possum currere exempla, vt probem
Prædes vadesque pœnitudinis reos,
Sed nolo quenquam nominatim dicere,
Sibi quisque vestrum dicat, & secum putet.

Interim, quis tam à communi sensu alienus est, vt non iudicet iniurias Catholicis, eorumque rebus illatas perniciem ipsis accersiuisse, & bella nouissima in Germaniam attraxisse, vt Cæcias nubes? quis inquam non acceptum ferat calamitates, quibus iam premitur affligiturque, iniurijs Ecclesiasticis, eorumque bonis illatis?

Verùm, in hanc scenam producere desino nouissimæ huius ætatis exempla: nisi quod præteriri non debet *Christianus Halberstadius*, qui se Sacerdotum flagellum, & scriptis, & nummis venditabat, cuius mors quam fuerit detestanda, habemus adhuc in recenti memoriâ.

Inter antiquos autem refertur *Burchardus* Halberstadensis Episcopus, quem ob inuasionem bonorum Monasterij Herueldensis (verba sunt eminentissimi Cardinalis Baronij)

Baronij) miserrimè perijsse, certò, non arbitrariò proditur: à cuius etiam obitu, Archipræsbyter eiusdem Episcopi illiusque Consiliarius, eodem anno subitâ morte obijsse memoratur; quin imò, vt testatur idem Baronius, fama fuit à dæmone suffocatum.

Tom. XI Annalium An. Chr. 1059.

Fredericum etiam II. Imperatorē legimus posteaquam ab Ecclesiâ Catholicâ turpiter desciuisset, illamque exinde infestaret, post latam ab Innocentio IV. excommunicationis sententiam, sine vllo pœnitentiæ signo, miserrimè in Apuliâ, vtpotè à proprio filio interemptum, perijsse.

P. Mathes lib. 5. Septimi decretalium tit. 3. in glo.

Christiernus Daniæ Rex, qui primùm in Germaniâ Caluinismum professus est, Regno priuatus fuit, & caueâ ferreâ inclusus, miserrimè mortalitatem expleuit.

Florim. de Remond lib. 4. c. 1. & lib. 8. c. 19.

Elector Saxoniæ nepos eius, qui Lutherum totis viribus defendit, bello captus fuit ab Imperatore Carolo V. atque capitis condemnatus: licet postea, priuatione Electoratus, pœna commutata fuerit.

Nouissimis verò annis, *Fridericus* Comes Palatinus Rheni, acerrimus Catholicorum hostis, in eandem ignominiæ scenam productus est, quem vidimus Electorali dignitate & bonis omnibus exutum, atque turpissimum Illustrissimæ familiæ suæ spectaculum, ac in alieno solo extorrem tandem miserrimè occubuisse.

Nec ipsa *Hispania* immunis à talibus ausis & euentibus. Ibi video *Domnam Vrranam*, filiam Alphonsi VI. Sancti Isidori templo, cum illius sacris spolijs egredientem, repentinâ morte, ipso in vestibulo ad orcum abreptam esse.

Domnum item *Alphonsum*, cognomento Bellatorem, dictæ Vrranæ maritum, ob eandem sacrilegam impietatem à Mauris profligatum, eiusque cadauer proiectum quò cerui solent cornua.

Denique, *Honorificum* Regem legimus secundo Regni sui anno, in exilium misisse plusquam 334. Episcopos Catholicos, quos per speciem Synodi euocarat: quin eò impietatis processisse, vt illorum Ecclesias claudi, solis Arrianis patêre iusserit: Nempè hic solus fuisset vltionis exsors? nequaquam: nam paulò post, māsit illum vindicta diuina, visceribus vtpotè cunctis effusis, horrendoque hoc supplicio ad tartara demersus, teste Wasæo in Chronico Hispaniæ.

CAP. XXIII.

Consimilia præcedentibus exempla in Italiâ & Angliâ.

QVid Gallia, Germania, & Hispania me tenet? Italiam & Angliam contemplemur: & in illâ *Berengarium* Regem, qui post ablatam ab Episcopatu Nouariensi Insulam S. Iulij, dono piorum Principum Ecclesiæ donatam, sui honoris & Imperij fecit iacturam. Vrbem ipsam Romam petamus & in eâ *Benedictum* Papam, quem statim ab obitu, Episcopo Capuensi apparuisse, Card. Baronius, ex Petro Damiano refert his verbis: Episcopus qui tum Capuæ præerat, vidit statim à morte Benedictū maiorem Papam (ita dictus Benedictus VIII. maior respectu nepotis eius qui minor est Benedictus appellatus) nigro equo quasi corporaliter insidentem. Cumque illum cœptum iter carpere cerneret, Heus (inquit) nonne tu es Papa Benedictus, quem defunctum nouimus? Ipse (inquit) infœlix ego sum. & ille, quo modo tibi est Pater? grauibus (inquit) tormentis afficior, spe tamen, si adiutorium præbeatur, de meâ recuperatione non priuor. Sed perge quæso ad fratrem meum *Ioannem*, qui nunc Apostolicam occupat Sedem, eique, meâ functus legatione denuntia,

Baron. an. Chr. 962.

Ad An. 1024.

„ vt illam potissimum summam, quæ in tali thecâ recon-
„ ditur, in pauperes pro meâ salute distribuat, sicque
„ me redimendum esse, quandocumque decreuerit Diui-
„ na miseratio: nam cætera, quæ pro me sunt indigentibus
„ tradita, nihil mihi penitus profuerunt, quia de rapinis
„ & iniustitijs, acquisita sunt. Hic igitur Episcopus Romam
„ impiger adijt, & vbi Ioanni Papæ defuncti fratris Bene-
„ dicti verba narrauit, Episcopalis mox sarcinæ pondus
„ abiecit, Monachum induit, eoque modo salutem sibi ex
„ alienâ calamitate prouidit. *Hæc Baronius*.

Legimus quoque *Pandulphum* Principem Capuanum ob rapinam rerum Ecclesiasticarum nedum bonis & fortunis suis exutum, sed & æternis supplicijs damnatum esse, vt latè ostendit Cardin. Baron. in Annalibus anno Christi 1038. Quod ipsum etiam suo damno didicit *Helredus* Anglorum Rex, qui teste eodem Baronio propter vastatâ Ecclesiæ Roffensis Ditionem, varias Barbarorum siue Danorum incursiones, ac deprædationes perpessus est. *An. Chr. 893.*

Ita *Ioannes* illiusdem Insulæ Rex, cum ciuili bello, quod aduersus Principes & Optimates Regni gerebat, ingentem prædam in Septentrionali Insulæ parte ex locis sacris & Monasterijs conuasasset, & iam ad Nima flumen peruenisset, in transitu illius sacrilegum eius exercitum voraginibus fluuij pœnè totum absorptum fuisse commemorant, ipsum verò Regem vix cum paucis emersisse, ac breui post tempore præ nimio animi mœrore occubuisse. *Angl. Hist. lib. Polid. Virgil. 15.*

Quinetiam, compertum est tales Ecclesiæ Mastiges, nedum ab aliegenis, verū etiam à proprijs filijs & incolis insidias sustinuisse, vt qui Episcopos patres spirituales nihil pensi habent, à proprijs filijs & subditis Deo ità permittēte infestentur. Testis esto *Henricus IV.* cuius sæpè mentio-

nem

nem fecimus, quem à naturali filio prius multimodis diuexatum, miserrimè perijsse legimus.

Meminerunt denique Annales Coniugis Comitis *Richuuyni*, quæ quod villam Iuliacam nullo iure à Carolo Francorum Rege marito suo sibi donatam, inuito quidem vero illius Domino, Rhemensi videlicet Episcopo, retineret, graui & lethifero morbo affecta, tandem miserrimè diem vitæ vltimum clausit, vti libro 1. politicorum Aphoris. ostendimus.

CAP. XXIIII.

Digressio ad Leodienses. narratur historia triumphi S. Lamberti Episcopi Leodiensium. Excidium item Ciuitatis. priuilegium Ecclesiæ Leod. excommunicandi vsurpantes ipsius bona.

QVid externa me tenent? ad domestica & propria veniamus. Solẽni quotannis ritu celebratur in Ecclesia Leodiẽsi Triumphus Beatissimi Patroni nostri S. Lãberti, qui hanc à Domino obtinuit benedictionem, vt in suâ Ecclesiâ, vno eodemque tempore fuerint nouem Regum filij Canonici, Ducum quatuordecim, Comitum viginti nouem, Baronum septem, quemadmodum omnes testantur historiæ, etiã exteræ. Hic porrò triumphus inde originẽ sumpsit, quod vnus ex successoribus suis, *Hugo* nimirum *de Petra-Ponte*, insignem reportarit victoriã contra *Henricum* Comitem Louaniensem, ac Brabantiæ Ducem, quem multis licet partibus superiorem, pugna Leodiensium penitus fregit, ac prælio superauit. Rem ex fide omnium Belgij Annalium succinctè narrabimus: Vsurpabat iste *Henricus* Comitatum Mohedanum, qui proprius erat Ecclesiæ Leodiensi ex donatione & munificentiâ Comitis Alberti de Moha. At *Hugo* de Petra-Ponte, pro iuri- *Ecclesiæ Leod. splẽdor.*

bus

bus Ecclesiæ suæ acriter opponit se eidem *Henrico*, neque non *Ottoni IV.* Regi Romanorum qui cum illo aduersus Leodienses conspirauerat, ipsis patriam ac Diœcesim Leodiensem ferro, flammis, rapinis vastantibus. Accidit porrò, post diuersas repulsas (nam prœlio Leodienses primum victi, & Ciuitas, atque adeò ædes sacræ primùm exspoliatę) Comitem *Henricum* cum suis Brabantis, Leodiensibus cedere. Nam conciliatis Numini & Patrono Lamberto militibus, securi, & in antecessum iussi sunt manum feroci cum hoste conferre, eoque longè viribus superiore, quem nihilominus fusum fugatumque ad pagum de Steppes, certò Annales nostri referunt. Quid indè? sceleris sui conscientiâ permotus Comes, nudis pedibus (quis credat? nisi fidem adstruerent Annales) à Ciuitatis portâ ad Basilicam S. Lamberti supplex venit, ibi sacras ante reliquias congeniculatus, veniam ab Episcopo, atque à censuris Ecclesiasticis in illum fulminatis, absolutionẽ magnâ cum animi demissione petijt, & impetrauit. *Otto* verò nefarij consilij particeps, & sceleris socius, ignominiosâ morte perijt. Ita verum est quod Psalmographus Regius cecinit: *Iniusti punientur & semen impiorum peribit. Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.* *V. Annales R. D. Chapeauille Vicarij Leod.* *Psal. 36.*

Itaque, colligat ex istâ historiâ lector, etiamsi permittat Deus aliquãdo Ecclesiasticos castigari propter sua peccata, tamen non solet executores suæ Iustitiæ inultos relinquere:

——————— *Sic Rector Olympi*
Sustinet ad tempus, toleratque impunè nocentem,
Fulmineo quo deinde reum violentior ictu
Contundat, pœnaque moram grauitate rependat.

Discamus etiam hoc ex impijs illis sicarijs *Dodone*, Pipini

70'2

Regis familiari & Alpaidis eiusdem Pipini pellicis fratre, qui cum socijs ob necem Sanctissimo viro Lamberto Episcopo ac Patrono nostro illatam, condignas tanti sceleris pœnas dedêre, vtpotè intestinis eorum putrefactis, & (vt habet historia) horribiliter egestis, è vitâ hâc, non in Cœlum, sed in tartarum migrauêre, Dodonis autem assecla, tumultuosâ seditione velut in rabiem acti, sibi inuicem cruentas intulere manus.

Godeschal. Canonic. S. Läberti in vit. S. Lamb. cap. 13.

Nec prætereundus Alexander eius nominis 1. Episcopus quoque Leodiensis, qui pugnaturus contra *Godefridum* Ducem Louaniensem, cædibus, rapinis, incendijs Leodiensem Episcopatum vexantem, S. Lamberti opem, orationibus, ieiunijs obtinuit, vt copijs licet lõgè imparibus eius exercitũ fuderit & fugauerit: labaro eius capto, quod multis post annis Leodiensis Clerus in publicis processionibus victoriæ, & nobilis Triumphi monumentum gestauit.

Sed nec *Carolus Burgundus* silentio inuoluendus, nuncupatus *Audax*, qui postquam Leodienses, quà Ecclesiasticos, quà Seculares, ferro flammisque deleuisset, miserrimè paulò post (res nota & omnibus historijs decantata) in obsidione Nanceâ occubuit, licet paulò ante Ecclesiæ Leodiensi iconem D. Georgij auream affabrè factam, in expiationẽ excidij Ciuitatis, dono dederit, cuius fumantis excidij cathastrophen breuiter posteritati commendauit eminentissimus Cardinalis Piccolomineus Papiensis, qui eodem anno, videlicet 1468. in humanis agebat: Is igitur narratâ funestæ obsidionis nobilis Ciuitatis Leodiensis serie, sic tandem excidium describit:

" Pugna cœpta, magnâ contentione vtrimque res gere-
" batur, his adnitentibus, vt concœptæ iracundiæ facerent
" satis; illis vt coniuges, liberos, parentesque supremo illo

An. Chr. 1468. 3. Kal. Nouemb.

certamine

„ certamine ab interitu vindicarent. Sed longè impar Leo-
„ diensium fiebat congressus, quòd hostes longè viribus su-
„ periores essent, vrbana autem turba, nec assueta bellis, nec
„ armata satis, multis acceptis cladibus ad paucitatem redie-
„ rat. Quamobrem, paulatim submotâ loco, & cadentium
„ numero, debilior facta, cedere propugnaculis, liberumque
„ ingressum irrumpentibus dare coacta est. Ita tota Ciuitas
„ ad internecionem vsque deleta fuit. Clerus inspectâ Ci-
„ uitatis fortunâ, in suâ quisque Ecclesiâ, clausis ianuis se
„ cõtinebat, vestibus sacris indutus, sanctorumque reliquias,
„ atque adeò ipsum Dominicum Sacramentum ad depre-
„ candam misericordiam manibus præferẽs. Idem Religio-
„ sorum, Virginumque cœnobia egêre. Sed nihil inter arma
„ sceleratæ manus incontaminatum reliquêre: refractis por-
„ tis, sacra omnia sunt direptioni data. Sanctuaria Dei tota
„ vrbe incensa, spoliati Sacerdotes, atque occisi: tum
„ nec parietibus etiam templorum parsum; in ipsam autem
„ imbellem turbam, tantâ impietate sæuitum est, vt nulli
„ sexui, ætati, aut ordini ignotum voluerint. Infantes allisi
„ parietibus, puerperæ confossæ, virgines primò stupratæ,
„ mox strangulatæ; senes quoque, & pueri, eodem quo
„ pugnantes loco habiti: matres cum filiabus eâdem cate-
„ nâ vinctæ in profluentem deijciebantur, in medijsque di-
„ uinis, dum astat Sacerdos altaribus, & Domini corpus,
„ sanguisque inter manus versantur, sacræ patinæ, & cali-
„ ces rapiebantur, vt meritò de tam sæuis hostibus emitti
„ ad vltorem Dominum vox illa Prophetæ lamentabilis
„ possit: *Domine Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, pol-*
„ *luerunt templum sanctum tuum.* Dux interea dimissâ Vrbe
„ prædonibus, ipse cum expeditis equitibus ad insequendos
„ qui fugerant, continuò profectus est. Sed vbi asperitate
„ syluarum ne inueniri quidem illos; nedum capi posse in-

 tellexit,

tellexit, regressus Leodium, tota passim ædificia deijci imperauit, ne profugis spes vlla reditus superesset; mox quoque Traiectum protendens, Magistratum, qui salutis fidem ab Episcopo antè acceperat, vinctusque nihilominus illuc fuerat deportatus strangulari & in profluentem abijci iussit. *Hactenus Picolomineus.* Hic igitur fuit exitus obsidionis Ciuitatis Leodiensis à Clero & Nobilitate etiam tum spectabilis, quæ multis retrò antè actis seculis meruit præ cæteris nuncupari, *Sancta Legia Ecclesiæ Romanæ Filia:* & meritò: quippè quæ semper fuit Ecclesiæ Catholicæ Romanæ fidei tenacissima, quemadmodum multis in locis ostendit Eminētissimus Cardinalis Baronius, & quam Franciscus Patrarcha istius æui Poëta non incelebris, *Clero spectabilem* siue *insignem* appellauit: *Vidi, Leodium*, inquit, *insignem Clero locum*: quem nihilominus Clerum ad internecionem deleri iussit Carolus, deterior in hoc *Alarico* Gothorum Rege, tametsi extra omnem religionis cultum enutrito. Nam cū in Italiam nō sine ingentibus copijs *Honorico* Imperatore venisset, ob Stiliconis perfidiam cōuersus ad Vrbem Romam, eamque ingressus, priusquam militi Vrbis populationem permitteret, edicere iussit, corpora bonaque eorum, qui in Apostolorum templa sese recepissent, salua fore. ostendit ferus homo nihil se pluris, quam Religionem ædesque diuino Numini dicatas facere.

Interim non nescius sit Lector, Ecclesiam Leodiensem, quæ nulli Ecclesiæ (si à Romanâ discedat) siue dignitatem spectet, siue antiquitatem, cedit, potestatem habere ab ipsâ Sāctâ Sede Apostolicâ Diris deuouere, & à cœtu impiorum abigere, quacumque ratione molestantes personas Ecclesiasticas, aut illorum bona vsurpantes: quod ipsum cum prænarratum supra triumphi S. Lamberti exemplum edocet, tum priuilegia *Vrbani IV. Clementis III.*

Innocentij II. aliorumque plurimorum Pontificum libris Chartarum Ecclesiæ Leodiensis antiquissimis inserta, quæ mox subijcientur. Nam in prædicto Episcopo Hugone de Petra-Ponte, constat illo existente in Oppido Huensi Diœcesis Leodiensis, indicta ibi Synodo ante memoratum Henricum Brabantiæ Ducem excommunicasse, totamque Brabantiam interdicto Ecclesiastico supposuisse.

Constat itidem, ex ijsdem Archiuis *Joannem* Ducem Brabātiæ sub anathematis pœna iussum, Oppidum S. Trudonis, quod est sub Dominio Episcopi Leodiensis, quodque violenter Dux iste vsurpauerat, Leodiensibus restituere, quemadmodum ex Bulla Clementis Papæ VI. libro 4. Chartarum dictæ Ecclesiæ Leodiensis inserta latius videre est.

CAP. XXV.

Gratia concessa Illustrisimo Capitulo Leodien. per Vrbanum *Papam IV. quod in malefactores & occupatores bonorum Ecclesiasticorum possit sententias excommunicationis promulgare, donec eis debitè satisfecerint.*

„ VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis „ filijs Decano & Capitulo Leodieñ salutem & Apo- „ stolicam benedictionem. Desiderijs vestris super his af- „ fectu beneuolo libenter annuimus, per quæ materiâ subla- „ tâ grauaminis, vos, & Leodieñ Ecclesia, statum tranquil- „ lum & prosperũ habeatis. Sanè petitio vestra nobis exhi- „ bita continebat quod nonnulli Clerici, aut Laici partium „ vestrarum, qui gloriantur cum malè fecerunt, & exultant „ in rebus pessimis, bona ipsius Ecclesiæ occupare, inuade- „ re, & detinere, & nihilominus alia vobis damna grauia „ irrogare præsumunt, in vestrum & prędictæ Ecclesiæ prę- „ iudicium, & grauamen. Quare nobis humiliter supplica-

„ stis vt prouidere vobis, & eidem Ecclesiæ super hoc pa-
„ ternâ sollicitudine curaremus. Cùm itaque res pia & dig-
„ nissima videatur, vt nos, qui olim in minori Officio consti-
„ tuti, Archidiaconatus officium in eâdem Ecclesiâ præ-
„ scripta gessimus, sibi aduersitatum repulso turbine, aug-
„ menta honoris & commodi procuremus, vestris suppli-
„ cationibus inclinati, vt in manifestos occupatores bono-
„ rũ præscriptæ Ecclesiæ, & notorios malefactores vestros,
„ nisi à vobis canonicè moniti, occupata huiusmodi vobis
„ restituerint, & de damnis illatis vobis satisfecerint, con-
„ gruenter infra competẽtem terminum, quem eis peremp-
„ toriè duxeritis præfigendum, possitis excommunicationis
„ & suspensionis sententias promulgare, ac eos vsque ad
„ satisfactionem condignam auctoritate nostrâ, appella-
„ tionne remotâ, inuiolabiliter obseruari, vobis authoritate
„ præsentium indulgemus. Nulli ergò omninò hominum
„ liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel
„ ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
„ præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Bea-
„ torum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incur-
„ surum. Datum apud vrbem veterem, quinto decimo ka-
„ lendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno tertio.

Vrbanus IV. Pontifex max. ante apicẽ Pontif. Canonicus & Archidiaconus Leodieñ.

Atque hac facultate vsi sunt Leodiẽses nõ solũ erga suos subditos, verumetiã exteros ac vicinos quacũque dignitate præditos, vti cùm enarrata supra capite proximo ostendunt: tùm quoque comperta hæc sunt ex Annalibus Episcoporum Leodiensium, quemadmodum videre est in eorum gestis apud R. D. Chapeauillum q. Canonicum & Vicarium generalem Leodiensem.

Vide D. Chapeauille to. 2. in Henrico Geld. Episc. cap. 5. & in Adolpho à Marcke.

Bulla

Bulla Joannis XXIII Executoria Priuilegij Vrbani PP. IIII. Capitulo Leodien. concessi, quod in malefactores & occupatores Ecclesiasticorum possit sententias excommunicationis & suspensionis promulgare, quousque eis integrè satisfecerint.

„ IOANNES Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis
„ filijs Abbati Monasterij S. Iacobi Leodieñ & Decano
„ Ecclesiæ Colonieñ, ac Officiali Traiecteñ. Salutem &
„ Apostolicam benedictionem. Inter cęteras sollicitudines,
„ quibus animus noster iugiter ad diuersa trahitur, ad sta-
„ tum Leodieñ Ecclesiæ vertimus Apostolicæ considera-
„ tionis intuitum, & multiplex ratio nos inuitat vt ad eam
„ specialis affectionis animum habeamus; non enim sumus,
„ nec esse debemus, immemores, quod in illâ dudum in
„ minoribus constituti, honoris incrementa suscepimus &
„ exinde fauente Domino, habuimus ad altiora progres-
„ sum. Propterea dignè respicimus ipsam Ecclesiam more
„ pij Patris feruenti gerẽtes desiderio, vt ipsa spiritualiter &
„ temporaliter augeatur, ac in eadem ministrãtes in diuinis
„ officijs, quietis & pacis vbertate gauisi, in omnibꝰ prosperè
„ dirigantur. Sanè dudum fœ. record. Vrbanus Papa IV.
„ prædecessor noster, pro quiete & vtilitate Decani, qui esset
„ pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli ipsius Eccle-
„ siæ, litteras suas eisdem Decano & Capitulo concessit in
„ hæc verba: Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, Di-
„ lectis filijs Decano & Capitulo Leod. Ecclsiæ salutem
„ & Apostolicam benedictionem. Desiderijs vestris super
„ his affectu beneuolo libenter annuimus, per quæ materia
„ sublata grauaminis, vos, & Leodien. Ecclesia statum tran-
„ quillum & prosperum habeatis. Sanè petitio vestra nobis
„ exhibita continebat, quod nonnulli Clerici & Laici
partium

„ partium vestrarum, qui gloriantur cum malefecerint & „ exultant in rebus pessimis, bona ipsius Ecclesiæ occupare, „ inuadere ac detinere, & nihilominus alia vobis damna „ grauia irrogare præsumunt, in vestrũ & præscriptæ Eccle- „ siæ præiudicium & grauamen. Quare nobis humiliter „ supplicastis, vt prouidere vobis & eidem Ecclesiæ super „ hoc paternâ, sollicitudine curaremus. Cum itaque res pia „ & dignissima videatur, vt nos, qui olim in minori officio „ constituti Archidiaconatus officium in præscripta Eccle- „ sia gessimus, sibi, aduersitatum depulso turbine, augmenta „ honoris & commodi procuremus, vestris supplicationibus „ inclinati, vt in manifestos occupatores bonorum dictæ „ Ecclesiæ & notorios malefactores vestros, nisi à vobis, ca- „ nonicè moniti occupata huiusmodi vobis restituerint, & „ de damnis illatis vobis satisfecerint congruenter infra cõ- „ petentem terminum, quẽ eis peremptoriè duxeritis præfi- „ gendum, possitis excõmunicationis & suspẽsionis senten- „ tias promulgare, ac eos vsque ad satisfactionem cõdignam „ authoritate nostra facere, appellatione remota, inuiolabi- „ liter obseruari vobis authoritate præsentium indulgemus. „ Nulli ergò omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ „ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si „ quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem „ Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolo- „ rum eius se nouerit incursurum. Datum apud vrbem ve- „ terem, quinto decimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus no- „ stri anno tertio. *Cum autem sicut exhibita nobis* nuper pro „ parte dilecti filij moderni Decani eiusdem Ecclesiæ ac eo- „ rundem Capituli petitio continebat, licet eisdẽ Decano & „ Capitulo in bonis & rebus ipsius Ecclesiæ per plerosque „ Clericos & Laicos, qui nomẽ Domini in vanum recipere „ non formidant, contra dictas litteras damna grauia cre-

brius

„ brius inferantur, ipsi tamen modernus Decanus & Capi-
„ tulum, quam plurimis alijs negotijs occasione ipsius Ec-
„ clesiæ pro tempore occupati, ad executionem ipsa-
„ rum litterarum quotiens expedit ac commodè atten-
„ dere nequeunt per seipsos: Nos igitur cupientes vt omnis
„ ab eisdem Decano & Capitulo, necnon alijs in ipsa Eccle-
„ sia in eisdem diuinis officijs ministrantibus pro tempore
„ violentia propulsetur, discretioni vestræ per Apostolica
„ scripta mādamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum
„ per vos vel alium; seu alios, eisdem Decano & Capitulo,
„ efficacis defensionis auxilio auctoritate Apostolica assi-
„ stentes, prædictas & præsentes litteras, vbi & quando expe-
„ dire videritis auctoritate nostra publicare, ac etiam exequi
„ ratione præuia studeatis, nec non sententias per ipsum
„ Decanum & Capitulum auctoritate earundem litterarum
„ pro tempore ritè latas, faciatis vsque ad satisfactionem
„ condignam, firmiter obseruari. Et nihilominus legitimis
„ super his per vos habēdis seruatis processibus eos quotiens
„ expedierit aggrauetis, Contradictores per censuram Ec-
„ clesiasticam appellatione postposita compescendo:
„ Inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis: nō
„ obstantibus si aliquibus communiter vel diuisim à sede
„ Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel ex-
„ communicari non possint per litteras Apostolicas non
„ facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de
„ indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud San-
„ ctum Petrum, quarto decimo kalendas Iunij, Pontificatus
nostri anno tertio. *Huc vsque series Bullæ executoriæ Vr-
bani IV.*

Ex quibus constitutionibus apparet *Vrbanum IV.* Pon-
tificem Max. Canonicum & Archidiaconum Leo-
diensem (antequam scilicet apicem Dignitatum attigisset)

dedisse facultatem Leodiensibus, vt in occupatores & inuasores bonorum Ecclesiæ Leodiensis excommunicationis & suspensionis sententias promulgare possent, etiam quauis appellatione remotâ, quâ facultate sæpe numero vsos esse eosdem Leodienses paulò ante ostendimus, nedum ergà subditos, verumetiam vicinos & exteros, atque huiusce facultatis, Bullas executorias concessas esse per Ioannem Papam XXIII. ex ipsius serie supra videt lector. Quinimò, ex Constitutione Concilij generalis Constantiensis de data kal. Octobris 1415. perspicuum est, nemini licitum esse quamlibet potestatem habenti, Ecclesias seu Ecclesiasticas personas Ciuitatis & Diœcesis Leodiensis sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, tallijs, collectis, vel exactionibus, aggrauare: quod si fortè tanta necessitas publica vel vtilitas vrgeret, vt absque vlla coactione Ecclesia duceret illas esse concedendas, ne id quidē liceret, nisi consulto Romano Pontifice. Cuius quidem sacri Cōcilij scitum & mādatum confirmarunt Fridericus II. & Carolus Romanorum Imperatores, statuta multa, vltra pœnas à sacris Canonibus inflictas, mille marcarum auri, ac etiam banni Imperialis in contumaces, quacumque dignitate fulti fuerint, qui ausu sacrilego & propriæ temeritatis audaciâ Ecclesias & Ecclesiasticos Diœcesis Leodiensis molestauerint, iura & libertates Ecclesiæ violauerint, incendijs aut rapinis vexauerint, sacerdotem vel clericum secularem aut regularem diffidarent (ita textus) proscriberent, captiuarent, spoliarent, occiderent, mutilarent, aut in carcere detinerent, vel huiusmodi maleficia perpetrarent. &c.

In Annal. sub an. Chr. 411. Quanta verò mala maneat Principes & Respublicas flocci æstimantes Ecclesiæ censuras (vt hodie plerique) audiamus Eminentissimum Cardinalem Baronium:

Sæpe-

Sæpè videre contigit Christianos Principes paruifacientes, censuras Ecclesiæ & Ecclesiastica iura calcantes, robustissimos licet pararint exercitus, atque classibus mare repleuerint, aduersante illis Deo, omnium iacturam fecisse, non hostibus tantum pugnantibus, sed ipsis etiam elementis in vltionem violatæ religionis exurgentibus & sacrarum legum contemptum ac Dei Ministrorum oppressionem vlciscentibus. Vtinam seculum nostrũ istiusmodi careret exemplis! Parui quidem hæc, veluti momentanea, sunt pendenda præ discrimine animæ, quod tales indubiè subeunt: sciunt enim, aut scire debent excommunicationem esse pœnam, quâ nulla maior in Ecclesia Dei est, teste August. cap. corripiantur 24. q. 3. quippè cuius effectus est priuare quem communione fidelium. Siquidem vt apud Gratianum legimus 11. quæst. 3. *Omnis Christianus qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur: quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus*, Quâ de re plura apud Sotum in 4. d. 22. q. 1. art. 1. Bellar. lib. 3. de Ecclesia militante c. 6. & Gratianum cit q. 3. illud imprimis quod. can. 17. ex Arausicano consilio refert. *Canonica instituta, & SS. Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei Violatores, auctoritate Dei & iudicio S. Spiritus à gremio S. Matris Ecclesiæ & à consortio totius Christianitatis eliminamus, quoadusque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.* Et S. Augustinus ex verbis Christi Math. 16. excommunicandi potestatem ostendit in epist. 75. *Spiritualis* (non politica vt hæretici nostri putant) *pœna est, anathema, quæ fit, vt quod scriptum: Quæ ligaueris in terra, ligata erunt in cœlis: animas obliget.*

CAP. XXVI.

Nonnullorum Anonimorum Ecclesiæ Mastigum exitus horrendi.

SEd relinquo Nomenclaturam stylo ante delineatam impiorum Ecclesiæ hostium. Strictim Anonimos subnectam: quorum non neminem suppeditat Eminentissimus Cardinalis Baronius, cuius auctoritate hôc frequẽtius & lubentius vtor, quò cuncti sciunt eum antiquæ veritatis exactissimum & fidelissimum indagatorem esse. Refert igitur militem quendam proprio in cubiculo, perpetuò diuexatum fuisse à muribus, quòd bona S. Clementis furto sustulisset; & cum fuste arrepto, ac etiam gladio arcêre vellet, operamque luderet, iussisse se arcæ inclusum in aëris medio suspendi, credens se hâc ratione immunem à muribus fore: verùm incassùm recidit eius consilium: Nam in arcâ ab illis ipsum exesum esse proditum est, relicto posteris perpetuo documento, vsurpatores bonorum Ecclesiæ, haud aliter, quam supplicio diuino vel ignominioâ morte expiari.

Tom. 11 Annal. An. Chr. 1011. n. 3.

Subnecto aliud, quamuis æuo dissitum, militis cuiusdam Germani exemplum, qui ætate Episcopi nostri de Horn, circa annum 1348. trecentis sociatus prædonibus, per agros & confines monasterij Stabulensis, Diœcesis Leodiensis (qui agri & confines potissima S. Remacli patrimonij pars sunt) grassabatur. Is igitur ingressus vicum de Lierneux Stabulensibus vicinum, prædonis in modum grassabatur, ingentiaque inde spolia reportabat, cuius impijs conatibus vt obsisterent vicini incolæ Stabuletani, ducentos manu strenuos mittunt, qui tamen, ita permittente diuinâ prouidentiâ, fusi fugatique sunt. Sed non idcir-

B. Chapeauille Tom. 3. Annal. Episc. Leod. in Arnol. de Horn. cap. 21. p. 61.

ad inultus abijt prædonum ille Signifer: quippè qui non multò post, ob irrogatam D. Remaclo iniuriam, in rabiem versus est, & quidem talem, vt obuios quosque dentibus impeteret, adeòque equi sui aures, propriasque suas manus commanducaret, atque paullò post morte horribili defungeretur. Socij verò criminis tali exitu perciti, manumque diuini Numinis agnoscentes, ad aram & ferettrum S. Remacli, vt propitium Deum sibi conciliarent, aduenerunt, ac religiosis indemnitatem omnem adpromiserunt.

De alio non absimili narrat Victor Vticensis, qui rapaci manu cuncta ad Ecclesiā pertinentia depopulatus, versus in consimilem rabiem, frustatim linguam sibi excedit, & paullò post vitam turpissimâ morte finiuit. *In Hist. Vandal. Pers.*

Iungam aliū, cuius exitus longè peior fuit, qui propter nimiam impietatē in Ecclesiasticos, plenâ meridie, adstantibus proceribus & cuncto populo, viuens, visus est à dæmone deportatus in aëra, & ex alto præcipitatus, medius crepuisse, ita referente eminentissimo Cardinale Tuscho. *Tom. 5. Com. Concl. in tit. Conclus. 342. num. 86.*

Præteriri non debet quod Chronicum sancti Bertini
„ narrat de nonnullis Danorum copijs, qui bonis Monasterij
„ illius sancti conuasatis & compilatis, cum ad extremam
„ miseriam ac inediam monachos adegissent, vltionem ilicò
„ diuinam experti sunt, quippè qui luminibus, quibus sancta temerauerant, priuati sunt. Hâc vltione si milites hodierni coërcerentur plura essent cœcorum regna.

Horrendo denique exemplo perijt quidam in Angliâ
„ Princeps, qui Monasterium S. Albini bonis spoliauerat.
„ quippè qui proprijs seipsum manibus discerpsit, & biduo
„ post horrendum in modum decessit, factus posteris mise-
„ rum vindictæ diuinæ spectaculum, teste Bzouio. *Annal. Eccles. an. Chri. 1321.*
„ In Hiberniâ (dum ibi religionis Catholicæ vigeret exercitium) *Girald. lib. 1.*

citium) contigit exercitum pernoctare in solo Ecclesiæ, ac duos milites annonam ab Ecclesijs rapere: Verùm, alter in insaniam versus, confracto cerebro, eâdem nocte interijt; alter verò, subitâ & improuisâ morte, vidente maiori parte exercitus, miserè occubuit.

Sunt plura. quid recensitu opus? fatigarē calamum, & lectorē, si in hunc campū producendi essent omnes, quorū exitus propter iniurias Ecclesijs & Ecclesiasticis illatas, funestissimos fuisse produnt historiarum monumenta.

CAP. XXVII.

Obiectionibus nonnullorum politicorum respondetur.

SOlent mali Principes, & qui circa illos sunt, quodcumque impietatis factum, aliquo tamen pietatis tegumento velare, sibique licére rapinas etiam in Ecclesiasticos exercere, agricolas verò, vbi necessitas ex ista dilatione stipendij militibus imminet, bonis spoliare, nituntur que, doctrinâ D. Thomæ scribētis, si aut vitia grassentur in plebe, aut boni publici ratio hoc postulet, ad euitandum maius malum, aut rem cōmunem amplificandam, licitum esse Regi aut Magistratui ea facere, quæ rebus integris essent verè tyrannica. At, hoc sanam recipit interpretationem: nimirum, doctrinâ D. Thomæ sic accipiendam, vt intelligi primò debeat in locis Regi subiectis; & quidem regulariter hoc modo, ne vna pars prouinciæ plusquam alia oneretur, & insuper, si aliâ ratione non possit consuli indemnitati bonorum.

lib. 3. de Regimine Princip. c. 11

Secundò, si grauissima necessitas cogat milites ad spoliandum innocentes, Princeps in conscientia obligatus est ad damnum resarciendum, si iniusta stipendiorum detētione illius causa extitit; sin minus, & sine eius culpa extitit,

P. Paulus Layman. l. 2 Theolog. moral. tract. 3. c. 12. q. 2.

nō amplius obligatur quam inde locupletior redditus est.

Tertiò, vt ista correctio non extendatur ad vicinos, nam quoad personas non subditas; non debent illæ esse obnoxiæ prædæ militum alterius bellum administrantis: quia bona illorū non sunt oppignorata militibus Principis exteri, tenenturque in tali euentu Principes in conscientia ad resarciendum damna, & interesse, quatenus moraliter possunt, quod vicinis accidit, præsertim vbi superior non fuit requisitus. *Layman d. loco Caut. verb. Bellum*

Neque enim datum est illis aliorum regimen vt furori, vt auaritiæ, vt genio, vt voluptati seruiant; multo minus, vt Ecclesiasticos bonis spolient, oppressionibus Prouincias vicinas diuexent, Sacerdotes iniurijs onerent, Clerum ipsum telis & linguis oppugnent, bona eorum sub tributo redigant. Habeant isti pro certo, Domino Deo rationem seueram se reddituros, quod Ecclesiam Christi, quam tuendam suscepêre ac suscipere plerique tenētur ex pacto & fœdere, militum violentijs, & direptionibus oppugnāt, illiusque iura & libertates violant, atque eneruant. Sunt enim tales dicendi persecutores Ecclesiæ, teste Baronio, qui ex vero scribit, terram Sacerdotum fuisse semper liberam & immunem ab omni tributo & seruitute præstanda, vt habetur Genes. 47. Nunc verò plerisque videtur, vt Sacerdotum terra prædæ rapinæque impiorum militum obnoxia debeat esse, præque alijs debere grauari. Hæccine sunt Christianorum hominum tesseræ? Catholici & Christiani haberi dicique volumus, & Catholicorum & Christianorum factis alienissimi sumus. *Quid prodest nobis*, inquit præclarè Saluianus, *prærogatiua illa Religiosi hominis, quod nos Catholicos esse dicimus? quod fideles iactamus? quod Gothos ac Wandalos hæretici nominis comprobatione despicimus, cum nobis dicitur illud quod Iudæis in lege* *Tom. 8. Annal. An. Chr. 598.* *De Prouiden. Dei l. 7.*

71b

lege fidentibus dixit sermo diuinus, Quomodo dicitis? sapientes sumus, & lex Domini nobiscũ est: nolite, inquit, cõfidere in verbis mendacij, dicentes templum Domini, templum Domini, templum Domini: quoniam si bene feceritis, vias vestras, & studia vestra, & aduenæ & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, neque sanguinem innocentem effuderitis, in loco hoc habitabo vobiscum, à seculo vsque in seculum. Quo vtique ostenditur, quod si ista non facimus, superfluam nobis Catholici nominis præsumptionem vsurpamus. Pluribus hęc prosequitur Saluianus, ad quem, siue Baronium Lectorem remitto.

d. tom 8 an. 590. Dicam & concludã cum Doctore Nauarro: *Video*, inquit *vnius Monarchiæ & gentis homines, aliarum gentium subditos eo solo, quod illius, vel illius gentis sint, odisse, turpisque notæ nominibus appellare.* Videtur scripsisse nedum pro sua gente, sed & pro alia, cuius nomen satis pro iusta causa est populandi. Pateretur haud dubiè multa quassatus popellus ob bonum Religionis, si continuis spolijs atque prędis ad mendicitatem non redigeretur, si tantam inhumanitatem nõ sustineret, si crudelitate plusquã barbarâ non laceraretur, si denique sacra Dei templa, in quibus ipsorum reculæ, quæ ea religione & eo iure sancto atque ipsa templa, intemerata manerent. De Christianis, an de Turcis hæc narrantur? Interim verò dum sæuitiam hanc in non subditos exercent, dumque fundum Ecclesiæ deuastant, ac aliena rapiunt, propria, iustâ Dei vindictâ, sua amittunt,

In comment. Rub. de Iudic. not. 24. nu. 102.

VsVrpant qVI nostra Deo sVa VInDICe perdunt. Sed væ illis,

——————— *Quis more ferino*
Collectare iuuat prædas, & viuere rapto

CAP.

CAP. XXVIII.

Soluitur obiectio secunda, videlicet Consuetudine depopulationes, & concussiones militum permitti aut tolerari posse: hæc erronea & impia ostenditur,

INdignor, & tantum non fremo, dum audio nonnullos, etiam eos qui in sortem Domini vocati sunt, excusare impios Ecclesiæ Mastiges prætextu consuetudinis priscæ, quòd nimirũ fundus Ecclesiæ, sit in possessione passiuâ (vt Iurisconsulti loquuntur) admittendi milites exteros: quod enim primùm violentum fuit, inquiunt, propter diuturnam consuetudinem, quæ tot iam annis tolerata fuit, videtur voluntarium esse, sicut plurima alia primùm violenta fuêre, quæ tamen processu temporis voluntaria fiunt. At respondeo, hoc cessare quando constat de repugnantiâ & contrariâ contestatione; præterquam, quod consuetudo illâ per vim tolerata, nullum iuris vel auctoritatis adminiculum tribuat. Itaque, iniusta est, impia, iniquitatis & iniustitiæ plena, libertati Ecclesiasticæ infensissima: quæ proindè nulla ratione tolerari potest. Nam vt plerique inferiores Principes publicam auctoritatem in suos subditos habeant, non tamen in subditos alterius Principis: vt omittã, quòd consuetudo quantumcumque immemorialis contra libertatem Ecclesiasticam nullo modo subsistat: *consuetudo enim quæ à veritate discordat*, sicut B. Cyprianus inquit, *erroris vetusta mora est, nihilque iuris affert.* alioquin ex consuetudine furandi, furtum licitum sit, & admittendum. Sed impiæ istæ voces, istæ concussiones, tot indictiones & contributiones, tot dissimulationes, tot occultæ collusiones, tot latrocinia, tot ædium sacrarum direptiones, & soli Ecclesiastici depopu-

Abb. in c. vlt. de Consuet. Rochus de Curte in Repet. c. vlt. Epist. ad Pompeium.

714

Cap. cum devotissimum 12. § 2. cap. ad cuiuslibet statum Ecclesiæ de Præb. & dig. in extravag. com. & quamuis sacris, de foro comp. in extravag.

lationes non sunt ferendæ. Vtantur spirituali simul & materiali gladio, vt sacri statuunt Canones. [a] Audiant Nicolaum Papam I. qui Præsuli Treuirensi illiusque defensoribus in mandatis dedit, vt spirituali simul & materiali gladio tamdiu malignos illos vsurpatores (verba sunt textus) eorumque fraudatores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quascumque res Ecclsiasticas restituant.

Eodem Zelo S. Gregorius Papa II. teste Baronio statim initio regiminis Ecclesiæ, animum adjecit ad recuperanda Ecclesiæ bona, & nominatum Castrum Cumanum à Longobardis ablatum, hoc nimirum ordine seruato (verba sunt Baronij) nimirum, vt primùm Paternis „ monitionibus rem ageret; deinde, vt contemptores Ec- „ clesiasticis Censuris exterreret; demum verò, in eos hæc „ omnia contemnentes, ageret armis, eisque castrum ex- „ pugnandum curaret. Sic Deus rem tantam aggredi voluit „ Pontificem, doctrinâ & Sanctitate insignem, eiusque „ exemplo sanciri disciplinam, quâ Successores eruditi abla- „ ta bona Ecclesiastica ab iniquis possessoribus vindicarent, „ etiamsi opus sit armis, si cætera remedia contemnantur. „ Possunt sanè & bella fieri, à Christianis, vt Sanctus Au- „ gustinus scribit ad Marcellum, ex charitate, & misericor- „ diâ; dixerim, & lucro eorum qui impetuntur. Cum vide- „ licet occupando quis quæ sua non sunt, Reus permanet „ damnationis æternæ; à quâ vel inuitus liberatur, cum vi „ aufertur, quòd malè possedit, fitque secũdum illud Daui- „ dicum: *Contere brachium peccatoris & maligni*, ex quâ fra- „ cturâ, quòd salus animæ acquiratur. mox subditur, *Quæ-* „ *retur peccatum illius, & non inuenietur.* Sic igitur ex chari- „ tate, atque misericordia infertur bellum, in quo qui vinci- „ tur; simul vincat; & vnus tantummodo vincatur diabo- „ lus.

Epist. 5.

Psalm. 8.

lus, cum cogitur captiuatam animam reddere liberam, „
factâ restitutione bonorum. *Hactenus ille.* „

Consimile habuimus exemplum apud nos in *S. Theodardo* primo Abbate Stabulensi, & postea xxviij. Episcopo Leodiensi, Gallo Natione. Is igitur acceptis infulis huiusce Episcopatus, animaduertens diuersas Ecclesiæ possessiones à domesticis hostibus & iniquis raptoribus direptas, iniustè detineri, nihil non tentauit vt illas ad Ecclesiam suam redire iuberet. Lusit quidem operam; Nam tantum abest, vt sacrilegi Ecclesię ablata restituerent, quin Sanctũ virum ex insidijs adortum vita insuper priuarent. Celebratur porrò eius natalis in Ecclesiâ Leodiensi, x. die Septembris, de quo proprium habent Leodiẽses officium, & in hymno concinuntur ista:

Gaudeat prole Gallia,
Lætetur patre Legia,
Sancti prouecta meritis,
THEODARDI *Antistitis,*
Hic Doctor veræ fidei,
Æmulator legis Dei,
Illuminauit Patriam,
Dum ministros nequitiæ,
Prædatores Ecclesiæ,
Salubriter redarguit,
Fraude cæsus occubuit.

Ita *S. Stanislaum* Cracouiensem Episcopum, quòd Regis Bodeslai notam libidinem redargueret, atque Ecclesiæ suæ possessiones illibatas tueri vellet, gladijs impiorum cæsum, mortalitatem cum martyrij gloria expleuisse, eius gesta referunt.

Ac licet tales sacrilegi Ecclesiæ Mastiges ocyus diuinam non sustineant vindictam, & ad tempus inulti maneant,

solet tamen diuina Iustitia tarditatem supplicij, grauitate pœnæ compensare:

——————Tardè licet
Veniat, venit tamen horrido pede cœlitùs
Delapsa tandem pœna.

CAP. XXIX.

Repræsalias iniustè decerni contra Ecclesiam. Ecclesiasticos iniquissimè euocari ad Iudices profanos.

REpræsalias, barbaro vocabulo vocamus pignorationes rerum, & personarum datas creditori, contra quemcumque de terrâ debitoris, ita loquuntur Iurisconsulti, pro iniurijs & damnis illatis. Solét autem potissimùm concedi, cum quis Iustitiam administrare neglexit, vel recusauit, & Superioris copia haberi non potest. Nec solùm ob Iustitiam denegatam, vel dilatam, sed etiam ob iniustitiam illatam: vt si quis iniustè condemnatus cogatur soluere condemnationem: is enim Repræsalias contrà talem iniustitiam impetrare potest, si aliter non possit esse ei consultum, vel apud superiorem, qui prius debet requiri, vel alio remedio ordinario vti non potest. Neque enim sunt concedendæ sine necessitate, cum sint periculosæ & occasionem præbeant rapinarum, vt inquit Victor. Vbi autē conceduntur, non potest tamen fieri executio contra clericos loci, contra quem locū sunt cōcessæ, teste Tuschio qui scribit ne concedantur contra personas Ecclesiasticas, vel earum bona, prohibitū esse sub pœnâ excommunicationis ipso iure, in personas quidem singulares, interdicti verò, in communitatem, nisi intra mensem post diem concessionis reuocét. Nihilominus vidimus superioribus annis, quam irreligiosè vsi sint istis Repræsalijs nonnulli

Cap. Dominus noster 23 q. 2 Gail. 1. Obser. c. 28 & tract. de Pignor. c 1. l. etsi pignor. de Iniur in 6 Bart. tract. Repres. q 2 Mynsi. citat 6. obser. 1. Bart. d. tract q 1. Paris de Put tract de Synod. verb Quidam, Paulus Layman tract. Theol moral tract. 3 c 12 nu. 13 De iure Belli.

Card. Tuschus tom. 6 tract. conclus conclus 198. nu. 12.

contra

contra Ecclesiastios propriâ auctoritate, nullo iure, nullo auctore Iudice, cõtra omnia iura: cũ Repræsaliæ nõ possint executioni mandari, sine Superioris auctoritate, multo minus, vbi obstant Concordata, qualia habent Leodienses à Maximiliano I. anno 1518. qui statuit ipsos nõ posse in prima Instãtia conueniri, nisi coram Ordinario sui domicilij, nec contrà illos, illorumvè bona, per Arresta, Repræsalias, aut pignorationes procedi: quæ quidẽ Concordata rursum cõfirmata sunt per Augustissimũ Imperatorẽ Carolum V.

Quid, quod potestatem sibi assumere nequeãt seculares ius dicendi in Clericos, eorũque caussas purè Ecclesiasticas ad se auocare, contra constitutionem expressam Martini V. Papæ *incipien. Ad reprimendas insolentias.* statuentis tales auocantes, excõmunicationem latæ sententiæ incurrere: hæcque exemptio à foro Iurisdictionis secularis, vt antiquissima, ita vbique vsu recepta est.

Cap. quamquam de censib. in 6. c. Nouerint, de Sen. excomm. c. Ecclesia de Constit. Rom. sing. 424.

CAP. XXX.

Tallias, contributionesque iniustissimè extorqueri ab Ecclesiasticis.

IMmanè etiam quantum læditur libertas Ecclesiastica per Principes seculares, eorumque Administros, dum contributiones non solùm bonis Clericorum patrimonialibus (quod ijs non licet)[a] sed etiam ipsis Ecclesiæ fundis propriâ auctoritate imponunt, quod nullo iure conceditur.[b] Siquidem cum hæc bona, fidelium voluntate ad Dei & Christi cultum specialiter oblata ac destinata fuerint, vt non in alios, quàm in pios vsus conuerti debeant, ideò omnes exactiones, quibus à seculari potestate grauantur in cultus diuini diminutionem & Christi iniuriam atque irreuerentiam cedunt; quippè cuius illa bona quasi

a Per not. Abb. in c. Eccl. nu. 28 de constit. & in c. Si clericus nu. 3. de foro comp. Nauar. in Manuali c. 17. nu. 203. P. Layman. l. 4 Theol. mor. tract. 9. c. 6. nu. 9.

b c. non minus, c. adversus de Immun. Eccl. c. 1. d. t. in 6. c. 1. de Cens. c. quamquam d. t. in 6.

propriũ

„ proprium Patrimonium existunt: quamobrem *res Dominica* appellari solent. Quod iusto animi æquilibrio ponderantes Sancti illius & celeberrimi Concilij Lateranensis Patres, sanciuerunt Anathematis pœna feriendos, qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallijs seu collectis, & alijs exactionibus aggrauare nituntur. Verba porrò Canonis sunt: Aduersus Consules, ac Rectores Ciuitatis, & alios qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallijs, seu collectis, & exactionibus alijs aggrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionē huiusmodi sub Anathematis districtione prohibuit, transgressores & fautores eorum excommunicationi præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verùm, si quando forsan Episcopus cum Clericis tantam necessitatem prospexerit, vt absque vllâ coactione ad releuandas vtilitates vel necessitates communes, vbi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda, prædicti Laici humiliter & deuotè recipiant cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum prius consulat Pontificem, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. *Hactenus Canon.* Consimilia sunt quæ decernuntur in Concilio generali Constantiensi, cuius Constitutionis supra adhuc memini.

Aduersus quos Canones non est quod quis obtendat, locales illos esse, vtpote in Concilio Lateranensi, & Constantiensi sancitos: constat enim dicta Cōcilia fuisse, generalia, in præsentia D.N. Papæ. Canones autem & cōstitutiones Pontificię, vim legis generalis habent, vtpote editæ pro caussis vniuersalis Ecclesiæ, & qui eas violant, aut alijs violatoribus adsistunt, blasphemant in Spiritum sanctum, & subinde vti hæretici iudicantur: quod enim Sancti

a D. Damas. in c. violatores Canonum 25. q. 1. B. Leo c. Igitur, 25. q. 2.

Patres

Patres & Ecclesiæ Doctores communi sensu & auctoritate S. Sedis varijs in locis,& temporibus docent, id Ecclesia vniuersa sentire & docere censetur: Ideò enim posuit Deus in Ecclesià Pastores, & Doctores, vt dicitur ad Ephes. vt eos populi tanquam Duces sequantur. Vnde preclarè D. Leo: „ *Si quid rectè à nobis agitur rectèque decernitur,* „ *à Misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur,* „ *illius est operum atque meritorum, cuius in sede, sua viuit* „ *potestas, excellit auctoritas.* Secundò, caret fundamento „ alia obiecto, quod nimirum milites Catholici defendant „ aduersus illius hostes Ecclesiam; quia respondeo cum „ Saluiano Episcopo Massiliensi, *Graue nimis esse, &* „ *peracerbum, quod hac lege* (Ecclesiasticos) *tueri videntur vt spolient, hac lege defendunt, vt miseriores faciant defendendo.* Olim quidem milites Catholici & eorum Duces vitam suam profundebant pro aris & focis, vt supra ostendimus; nunc verò plerique milites, etiamsi nomen suum militiæ dederint pro tuenda religione & patrià, attamen habendi magis cupiditate inflammantur, quam studio promouendæ religionis. atque hæc est ratio scilicet status, quam plenis buccis crepant nonnulli, nihil interim pensi habentes quid de Religione & plebeculà fiat, dummodo pecunias extorqueant, ingeminantes illa verba, Date nobis, date nobis, sicut deterrimus ille Rex Achab dicebat Nabutæ: Da mihi vineam tuam, &c.

b d. c. Violatores glo. c. nulli fas est a. 35. 19. c. 1. c. generali 25. q. 1.

Cap. 4.

Serm. 2 in suũ Anniuersarium.

Lib. 5. de Prouid. Dei.

Itaque, frustra turpi suæ causæ colores hos afferre conantur. Aduertant, non esse Catholici nominis diuexare & spoliare Ecclesiasticos, præsertim non subditos, sed potius apud eos instare vt suis precibus diuinum sibi Numen reddant placatum, ne porrò hostes suos infestiores sentiāt. Iratus Deus, populum Israël delere decreuerat, sed stetit Moyses in conspectu eius & diuinam indignationem,

ora-

oratione placauit. flamma diuinæ animaduersionis sæuiebat in populum, & Aaron, arrepto thuribulo, medius inter viuentes & mortuos, se flammis obiecit, cessauitque quassatio. Item, contra Amalec Israël præualebat, Moyse orante & erigente manus ad Dominum, & postea, temporibus Iosue, Sacerdotibus vociferantibus muri Iericho corruerunt.

CAP. XXXI.

Excommunicantur qui Iurisdictionem, aut bona Ecclesiastica vsurpant, aut retinent.

EXcommunicatio, quæ irrogatur in vsurpantes, aut sequestrantes bona Ecclesiæ, est Canonis latæ sententiæ, Bullæ Cœnæ Domini, cuius rigorem & antiquitatem ante 400. & amplius annos in Ecclesia receptam, notat Gregorius Sayrus: verba Censuræ istius Bullæ sunt ista: Qui Iurisdictiones, seu fructus, redditus & prouentus ad nos & sedem Apostolicam, & quascumque personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant, vel etiam quâuis occasione, vel causâ, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressâ licentiâ sequestrant, &c. Quibus verbis clarum, & indubitatum est, excommunicari Dominos temporales, qui bona Ecclesiæ vsurpant, aut sequestrant, aut Ecclesiam illis spoliant, & in proprium vsum conuertunt, vt dilucidè Sayrus & Suarez in explicatione dictæ Bullæ ostêdunt.

In illius expos.

Sayr lib 3. Suarez to. 5. disp. 21. sect. 2.

Quinimò, in diuersis Ecclesiæ Côcilijs eadem statuûtur: Nam in Synodo Romanâ 6, *quæ habetur tom. 2. Conciliorum,* à communione Ecclesiæ repellendos esse statuitur, qui bona

Sub Innocent III. An. Chr. 1215.

„ bona Ecclesiæ retinent, vel vsurpant. Ratio enim exigit,
„ inquiunt Patres, vt qui nulla conscientiæ castigatione
„ corriguntur, Ecclesiæ saltem, & Canonicæ vindictæ acu-
„ leis perfodiantur. Consimilia, & seueriora ordinantur in Concilio Generali Constantiensi, cuius cõstitutionem habes supra.

In Concilio verò Generali Lateranensi celebrato sub Innocentio III. ita in fine statuitur: Volentes igitur super
„ his, Ecclesiarum indemnitati consulere, ac tantis graua-
„ minibus prouidere, constitutiones huiusmodi, & vindi-
„ cationes bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo Eccle-
„ siasticarum personarum assensu præsumptas, occasione
„ laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destitutio, vel
„ destructio dici possit, nec non vsurpatio Iurisdictionum)
„ sacri approbatione Concilij decernimus non tenere, præ-
„ sumptoribus per censuram Ecclesiasticam compescendis. Cui conformis, est constitutio Basiliensis, *quæ habetur in cap. cum laicis. vlt. de Reb. Eccles. non alien.* vbi glo. in verbo compellendis, scribit tales vsurpatores ipso iure esse excommunicatos *per cap. Nouerit* 49. *de sent. excom.*

Idem etiam ordinatur in Concilio Ticinensi sub Benedicto III. qui insignem suæ ordinationis rationem in præsentia Ludouici II. Imperatoris subijcit hanc: Si
„ enim hi qui facultates suas pro animarum suarum remedio
„ Ecclesijs contulerunt, præmium merentur, sine dubio
„ damnatione digni sunt, qui eas substrahere moliuntur.

In cõstitutionibus verò Ecclesiæ Oxoniensis in Anglia, *quæ habentur tom. 4. Conciliorum*, consimilem in modum
„ decernitur: Auctoritate Dei Patris & B. Virginis, & om-
„ nium Sanctorum, & præsentis Concilij, excõmunicamus
„ omnes illos qui malitiosè Ecclesias suo iure priuare præsu-
„ munt, aut per maliciam, aut contra Iusticiam, libertates

earundem infringere, & perturbare contendunt.

In Concilio autem Parisiensi, tempore Gelasij Papæ hæc habentur: *Indignè ad altare Domini properare iudicatur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere & iniustè possidere.*

Eodem excommunicationis gladio dicti vsurpatores feriuntur in antiquis statutis synodalibus Ecclesiæ Leodiensis, *cap.* 18. atque etiam Cameracensis *tit.* 13. *incip. Statuimus*, his verbis: Quicumque possessiones personarum Ecclesiasticarum inuadũt iniustè, vel bona ipsorum mobilia rapiunt, vel rapta retinent, nec restituerint infra 15 dies &c. ex tunc, ipso facto eos excommunicamus.

Neque tales vsurpatores & populatores excusabantur apud Deum, prætextu antiquæ consuetudinis, etiamsi immemorialis sit: tum quia, cum sint Laici, & sint incapaces Iurisdictionis Ecclesiasticæ, nequaquam possunt se tueri consuetudine, quæ nunquam legitima esse potest ad præscribendũ; tum quia Iurisdictio Papæ nulli subiecta est in terris: vnde illius simplex tolerantia non sufficeret, ex quo constat summos Pontifices expressè quotannis protestari, per nullum actum, vel tolerantiam se consentire in impedientes libertatem Ecclesiasticam, aut executionem litterarum Apostolicarum, vel vsurpantes bona Ecclesiastica. Secundò, non excusabuntur prætextu priuilegij Apostolici: quia si quod esset tale, reuocatum est, & reuocatur quotãnis per Bullã Cœnæ Domini: quod quidem fieri posse, extra dubium est: nam quilibet Princeps potest reuocare suum priuilegium; ideoque manent isti excommunicati in Bullâ Cœnæ Domini. Sed hodie multi neglectui & contemptui habent fulmina Ecclesiæ, parum attendentes ad illa Christi verba, Petro eiusque successoribus dicta: *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta &*

Abb. in c. Venerabilem. de electio nu. 19. & est communis DD. sententia teste Feli. in c. quæ in Ecclesiarum, vers. quinto declaratio de constit.

Matth. 18.

in cœlo. Per quæ verba, Prælatis conceditur potestas arcendi à communione Ecclesiæ, omnes & quoslibet illam quâcumque ratione infestãtes. quam certè separationem magis metuerent, si insuper verba Augustini iustâ iudicij trutinâ ponderarent, sic dicentis: *Nihil sic formidare debet Christianus, quam separari à corpore Christi.*

Tract. 27. in Ioan. & qui merito & cap. omnis Christianus & cap. nihil 11. q. 3.

CAP. XXXII.

Oblationes furtiuas non recipit Deus.

AB ore veritatis est, *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere*, id est, ex sceleratè & iniquè partis litantur, vt inquit R. P. Salazar: qui locum hunc ita interpretatur: Siue Deo aliquid, sacrificij nomine, siue pauperi, eleemosynæ titulo offeratur; id certè si ex sceleratè & iniustè acquisitis impendatur, illi inuisum, ac detestabile est. Imprimis enim sacrificia & libamina, quæ Deo offeruntur, propterea illi grata, & iucunda sunt (vt docet D. Thomas 22.) quia is, qui Deo ex bonis suis aliquid offert, illum quidem omnium auctorem, & causam profiteri videtur: nam de acceptis aliquid illi reddens, vniuersa eidem accepta referre videtur. Cum ergò ei, qui fortunas iniustè, & contra fas sibi peperit, Deus habendi auctor, & causa moralis non fuerit, sed magis diabolus ipse, qui iniusti quæstus auaris auctor & largitor est, meritò quidem oblatam hostiam repudiat & refutat: quia per illam impiè admodum iniusti lucri auctor quodammodo exterius renunciatur. Adstipulantur ista Ecclesiastici: *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis.* Iniquos autem, appellat iniustos rei alienæ vsurpatores, qui videlicet ex iniquè partis hostias Deo mactant: subdit

Prouerb. 21. vers. 2.

Cap. 34.

enim: *Qui offert Sacrificium ex substantiâ pauperis, sicut qui victimat filium in conspectu patris.* Nam cum Deus ob singularem in pauperes prouidentiam, eorum pater dici soleat, quicumque bona ab ipsis ablata, Deo voti causâ exsoluit, perinde facit, atque si filium vnicè dilectum & hæredem in parentis sui oculis enecet. Sicut enim fieri non potest, vt parenti filij mors non valdè displiceat: ita etiam impossibile est, vt Deo talis hostia prorsus inuisa non sit. Quod illustri exemplo ac potius miraculo docuit in vno rustico, qui cum animaduerteret, quam plurimos esse qui donaria deferrent ad sepulchrum Sancti Galli, nec quidquam ipse quod offerret haberet, animum induxit, vt aluearе cum apibus alicundè auferret, & apibus extinctis ceram conficeret, quam Sancto Gallo posteà offerret. Verùm, Dei prouidentia factum est, vt cum is ceræ donarium offerre vellet, illam in lapidem durissimum mutatam cerneret: quo timore perculsus, vni ex socijs itineris reatum suum ingenuè aperuit, teste Walfrido Strabone. quem totidem verbis refert eminentiss: Card. Baronius.

Baron. t. 9. Annal. an. Chr. 747.

CAP. XXXIII.

Suspenditur quandoque diuina vltio, & quare?

SOlent homines maligni ingenij, & parum exercitati in rebus spiritualibus, de Superis queri, parum iustè Deum differre vindictam malorum; sed non considerant Deum Opt. Max. omnem animaduersionem & castigationem ad salutem generis humani datam proferre, & si vltio in executores suæ Iustitiæ sistatur, non ideò tolli. Hic enim est Diuinæ prouidentiæ, vt sic dicam, mos, vt paullatim & per incremẽta temporũ ad destinatos quosq: fines perducat, vndè fit, vt nec omnia scelera statim punire velit, nec omnia relinquere impunita. Si nulla puniret,

nullam

nullam esse prouidentiam multi dicerent, si verò mox puniret, nihil post hanc vitam vel præmij, vel supplicij superesse crederent. Ita Deus dum quædam punit, prouidentiam suum ostendit, dum quædam relinquit impunita, vel ad maiora huius vitæ, vel ad futura reseruat supplicia. Non nesciuerunt Ethnici ipsi: *Œdip. apud Sophoc. Colon.*

Magnos nihil fugit Deos: tardè licet
Veniat, venit tamen horrido pede cælitus
Delapsa tandem pœna, eosque corripit
Pietate qui spretà, atque honesti vinclis
Ruptis, ruunt dirum in furorem.

Præclarè Valerius: *Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.* *Lib. 1. c. 1.* & Magnus ille Cæsar Iulius in suò paganismo: *Consueuêre Dij immortales, quò grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci volunt, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* *Lib. 1. Com-ment.* Pulcherrimè Optatus: *An quia cessat talis modo vindicta, ideò tibi cum tuis* (Donatistis) *vindicas innocentiam? ad exemplum præsens pœna compressit; secundam iudicio reseruauit.* *Lib. 1.* Itaque *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* *Prou. 16. v. 11.*

Dilationis vindictæ Diuinæ, in Saule patet; qui licet simul ac deliquisset, sententiam Regni priuationis acciperet, dicente per Samuelem Domino: *Scidit Dominus Regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo meliori te;* *Cap. 1. Reg. 15.* executio tamen sera fuit; non enim Regnum Dauid accepit, nisi post obitum Saulis, vt ex sacra pagina notum est. Vnde scitum Beati Leonis Papæ dictum: *Abutuntur quidam patientià Dei; & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longà impunitate securi; cum ideò differatur vltio, vt tempus possit habere correptio.* *Serm. de Pass. Dom.* Quod in *Henrico* Imperatore animaduersum est, qui à proprijs filijs regno pulsus & exul mori *Baron. to. 11. anno Chr. 1010.*

turpiter coactus fuit. Qui enim *Gregorium* Papam contempserat, Ecclesiæque libertatem pessumdederat, à filijs suis ipse despectus, & extorris mori coactus est: Volebat enim ipse impedire Appellationes (vt nonnulli hodie) ad Iudices Apostolicos. quâ de re plura non addam, cum satis fusè hæc tractata sint in Opusculo nostro, de Appellationibus à Iudicibus Ecclesiasticis in causis ciuilibus inter laicos ab Imperiali Camerâ non recipiendis. Itaque stylum conuertam ad constantiam in publicis malis fortiter retinendam.

CAP. XXXIV.

Dei permissione, Ecclesiæ persequutiones, clades, & flagella immitti: Sed væ illis, per quos hæc fiunt.

ECclesiæ Mastiges maiorem vtilitatem afferre Episcopis, cum eos persequuntur, quam cum illecebris blandiuntur, docet S. Ambrosius: Nam ad coronam, inquit, Sacerdotum, permittit Deus scelestos Principes insanire furereque aduersus eos, quò quid in eis intus virtutis lateat foris appareat, & qui in vasis fictilibus thesaurus occultabatur, in multorum vtilitatem effundatur, & lumen quod reconditur in lagenis militum Gedeonis, ijsdem perfractis foris appareat, quò Sancta Dei illustretur Ecclesia. *Apud Baron. tom. 7 Annal.*

Consimilem in modum, Zepherinus Papa ex vero scripsit: Iusto Dei iudicio datur, inquit, plerumque peccatoribus potestas, quâ Sanctos ipsius persequatur, vt qui spiritu Dei iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Ipsis tamen qui eos persequuntur, & exprobrant, atque detrahunt, erit proculdubio, væ, væ. væ illis qui detrahunt seruis Dei: quia detractio eorum ad eum pertinet cuius ministerium agunt, & vice funguntur. *Ita Zepherinus* *Epist. 2. ad Episcopos Ægypti quæ extat. Vol. 1. Concil. p. 140.*

Papa,

Papa: cui adſtipulantur iſta Beati Cypriani: Nemo no-
„ ſtrum, quãdo læditur, reluctatur, nec ſe aduerſus iniuſtam
„ violentiam veſtram, quamuis nimius & copioſus noſter
„ ſit populus, vlciſcitur. Patientes facit de ſecuturâ vltio-
„ ne ſecuritas: innocentes nocentibus cedunt: inſontes pœ-
„ nis & cruciatibus acquieſcunt; certi & fidentes quòd in-
„ ultum non remaneat quodcumque perpetimur: quantò-
„ que maior fuerit perſecutionis iniuria, tantò & iuſtior fiet
„ & grauior pro perſecutione vindicta. *Hæc B. Cyprianus ad Demetrianum.* Sed væ talibus, ter & amplius væ Con- *Epiſt. ad Demetrianum.*
ſiliarijs, qui placentia loquentes, & gratijs litantes, (quia fortaſſis ſunt Penſionarij aliorum Principum) ſuſque deque habent iura Eccleſiæ, peſſumdant libertatem Eccleſiaſticam, aut iniuriam illi illatam diſſimulant, illius bona, velut ſi in hoſtico eſſent, direptioni militum concedunt, & ſi quæ Eccleſiaſticorum, vel miſerabilium perſonarum quærelæ deferantur, ſurdis fabula narratur, vt ſæpiſſimè contingat anginâ argentáriâ laborantem Demoſthenem, elinguem reddi, ſed præſtare facundiâ, ſi agat pro Rege Macedonum.

CAP. XXXV.

Solatium in malis publicis, & exhortatio ad Conſtantiam.

CAſſiani, auctoris de meliore notâ, effatum eſt: Credere inconcuſsâ fide nos conuenit, nihil ſine Deo prorſus in hoc mundo geri: aut enim voluntate eius, aut permiſſu agi fatendum eſt: ſic à Deo non poſſunt non eſſe bonæ clades, ſiue originem intueare, ſiue finem: illam, vtpotè à Deo, ſummo bono, & bonorum omnium auctore, qui permittit malos ideò viuere, vel vt ipſi corrigantur, vel *Coll. 3. cap. 20.*

vt

vt ipsi corrigantur, vel vt bonus per illos exerceatur, vt loquitur S. Augustinus. Nimirum, magna Dei Sapientia est, ex malis bonos facere, quemadmodum illi placet, cui nihil iniustè placet. Medicum considera, qui theriacæ suæ viperam admiscet, saluberrimo fine & effectu: Deum idem & eodem fine facientē cur improbes? Certè D. Hieronymi dictū verissimum est scitu dignum: *Omnia prouidentiâ Dei gubernantur & sæpe, quæ putatur pœna, medicina est.* Itaque siue bellis iactaris, siue morbis affligeris, hoc crede à nostro Medico immitti, & permitti bono tuo. Idcircò,

In Psal. 54.

Iuuenal. Saty. 10.

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris:
Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt Dij.
Carior est illis homo, quam sibi.

Qui suam voluntatem diuinæ conformat, nunquam tantoperè vel turbatur, nec vnquam ærumnis sic deformatur, vt in iram prorumpat & indignetur Deo. Accepta enim refert cuncta propitio illi Deo, qui rerum humanarum æquus est moderator & arbiter. Pulchrè & ex vero, Philosophus ille Christianus: Quis, inquit, alius vel seruator bonorum, vel malorum depulsor, quam rector ac moderator Deus? qui cùm ex altâ prouidentiæ speculâ respicit, quid vnicuique conueniat agnoscit, & quod conuenire nouit, iustè accōmodat. Si aspicit res humanas Deus, etiam curat; si curat, regit; si regit, iudicio regit; at si iudicio, quomodo iniustè? Non enim vllum regimen sine eo sit, sed congeries, confusio, turba. Itaque ad illū cuncta referre debes, quæ eueniūt; & si quid citrà spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni verò tuæ peruersa confusio. Debemus ergò parere supremæ prouidētiæ, quæ cuncta disponit sapientissimè, nobisque assuescēdum est conditioni temporum, melior Phœbus olim illucescet.

Boet. de Consol. Philos. Prosa 6.

 Quid

Quid querimur, aut ingemiſſimus? noxis & peccatis noſtris debemus adſcribere, ſi quas belli, aut alias ſuſtinemus calamitates. Iuſtitiæ enim Dei æterna & immota lex poſtulat peccata hominum aut emendari, aut tolli. Si tu à Deo puniaris, & quidem longè remiſſius, (quod Dei proprium eſt) quam ſis meritus, cur detrectas pœnam perſoluere? vt ignis, aut aquæ luſtratio quædam adhibetur ad ſordes eluendas: ſic clades ad peccatorum purgationem. Rectè, & aptè Theophilus Bernardinus. *Subtiliſſimè* inquit, *noſtris erroribus & peccatis inſinuat ſe Deus, non vt approbator & particeps, ſed vt auerſator & corrector, qui ex malis bona plura, quaſi ignem ex aqua educit.* Id præclarè confirmat D. Auguſtinus agens de obſidione Vrbis Hipponenſis, cuius ſermonis meminit eminentiſſimus Cardinalis Baronius: Quoties, inquit, hoſtilitas aut mortalitas iuſto Dei iudicio nobis fuerit irrogata, non eius iniuſtitiæ, ſed noſtris hoc peccatis imputare debemus: quia ſicut dicit Apoſtolus: non iniquus eſt Deus, qui infert iram: multorum enim moribus atque clamoribus exagitatus eſt mundus. Et vt ex hoc omnes intelligere poſſint apertius, charitati veſtræ inſinuo: Sic ſunt boni & mali, quomodo ſi duo vaſa ſint plena, & vnum habeat putredinem & aliud aromata pretioſa cum vno ventilabro ventilata: illud vas, vbi fuerint aromata, odorem deſiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit. Ita ſimul boni & mali indiſcretè quidem turbati, ſed alto Dei iudicio ſeparati. Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit: qui boni ſunt, velut Sancta vaſa, gratias agũt Deo, qui eos caſtigare dignatur; illi verò qui ſunt ſuperbi, luxurioſi, cupidi, blaſphemant & murmurant contra Deum, dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, vt talia patiamur? vnde fit vt infœlices iſti amore huius vitæ alligati, nec iſtam tenere

774

possint & illam sempiternam, de quâ fugiet dolor & gemitus, amittant, & quod peius est, nec ista mala præsentia possunt euadere & ad illa quæ æterna mala sunt eorum crimina faciunt peruenire.

Non lubet abire ab Augustino, cum quo caput istud, & opusculum claudam: *Deus*, inquit, *quasdam voluntates suas, vtique bonas, ita implet per malorum hominum voluntates malas; sicut per Iudæos maleuolos, bonâ voluntate Patris: Christus pro nobis occisus est, Propterea magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo nihil fiat præter eius voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens, nec sineret bona fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.* Obserua hoc, mi Christiane, non fieret; si non sineret, nec vtique nolens sint, sed volens.


Cæterùm, dum hic finio Dei permissu qui dedit ista velle & perficere, ad te Maresi, tuique similes regredior, qui ab vnitate veræ Ecclesiæ nequiter recessistis, eamque omni quo potestis modo diuexare, deturpare, ac spernere non cessatis; & quorum horrendos in hâc Parænesi legistis exitus, eorum non solum detestemini acta, sed à similibus ausis deinceps desinite, nisi velitis eodem, aut pei ore mortis genere certò perire. Si verò mihi hæc fideliter referenti minus creditis, ad auctores omni fide dignissimos vos remitto, qui mihi præscripta omnia exempla, in vestri confusionem & cōdemnationem, suppeditarunt, ex quibus addiscetis omnes sectarios (Auos & Proauos vestros) non tantum æternâ, sed etiam temporali, eâque multiplici & horrendâ pœnâ tantum non semper diuinitùs punitos fuisse.

Rursus, ad nonnullos Pseudopolicitos non minus Ecclesiæ nociuos, quam sint ipsi Hæretici, reuertor, & quod supra

ſupra monui, illis iterùm repeto, nempe; ſicuti aquilarum plumæ aliarum alitum plumas deuorant, ita Eccleſiæ bona rapinis conuaſata, raptorumque bonis intermixta, plerumque euanida, & hoſtibus fidei prœda fiunt; quod fortè tolerabile, ceù tranſitorium foret, niſi inſuper perpetuum ignis æterni ſupplicium impios & ſacrilegos iſtos homines maneret. nam ſi in ignem æternum ibunt qui opera miſericordiæ nõ fecerũt, non ibũt qui Eccleſiæ, charæ Chriſti ſponſæ, bona paſſim iniquiſſimè vſurpant & retinent? In quo ego tandem manum de tabulâ, qui ſcriptiunculam hanc lubèns Cenſuræ ſanctæ Matris Eccleſiæ ſubmitto.

FINIS

Ad maiorem Dei gloriam & Eccleſiæ Catholicæ illuſtrationem & propagationem.



» proprium Patrimonium existunt: quamobrem *res Dominica* appellari solent. Quod iusto animi æquilibrio ponderantes Sancti illius & celeberrimi Concilij Lateranensis Patres, sanciuerunt Anathematis pœna feriendos, qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallijs seu collectis,& alijs exactionibus aggrauare nituntur. Verba porrò Canonis sunt: Aduersus Consules, ac Rectores Ciuitatis, & alios qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallijs, seu collectis, & exactionibus alijs aggrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionē huiusmodi sub Anathematis districtione prohibuit, transgressores & fautores eorum excommunicationi præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verùm, si quando forsan Episcopus cum Clericis tantam necessitatem prospexerit, vt absque vllâ coactione ad releuandas vtilitates vel necessitates communes, vbi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias duxerint conferenda, prædicti Laici humiliter & deuotè recipiant cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum prius consulat Pontificem, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. *Hactenus Canon.* Consimilia sunt quæ decernuntur in Concilio generali Constantiensi, cuius Constitutionis supra adhuc memini.

Aduersus quos Canones non est quod quis obtendat, locales illos esse, vtpote in Concilio Lateranensi,& Constantiensi sancitos: constat enim dicta Cōcilia fuisse, generalia, in præsentia D.N.Papæ. Canones autem & cōstitutiones Pontificię, vim legis generalis habent, vtpote editæ pro caussis vniuersalis Ecclesiæ, & qui eas violant, aut alijs violatoribus adsistunt, blasphemant in Spiritum sanctum,[a] & subinde vti hæretici iudicantur: quod enim Sancti Patres

[a] Damas. in c violatores Canonum 25. q.1. B. Leo c. Igitur, 25. q.1.

Patres & Ecclesiæ Doctores communi sensu & auctoritate S. Sedis varijs in locis,& temporibus docent, id Ecclesia vniuersa sentire & docere censetur: Ideò enim posuit Deus in Ecclesiâ Pastores, & Doctores, vt dicitur ad Ephes. vt eos populi tanquam Duces sequantur. Vnde præclarè D. Leo: *Si quid rectè à nobis agitur rectèque decernitur, à Misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cuius in sede, sua viuit potestas, excellit auctoritas.* Secundò, caret fundamento alia obiectio, quod nimirum milites Catholici defendant aduersus illius hostes Ecclesiam; quia respondeo cum Saluiano Episcopo Massiliensi, *Graue nimis esse, & peracerbum, quod hac lege* (Ecclesiasticos) *tueri videntur vt spolient, hac lege defendunt, vt miseriores faciant defendendo.* Olim quidem milites Catholici & eorum Duces vitam suam profundebant pro aris & focis, vt supra ostendimus; nunc verò plerique milites, etiamsi nomen suum militiæ dederint pro tuenda religione & patriâ, attamen habendi magis cupiditate inflammantur, quam studio promouendæ religionis. atque hæc est ratio scilicet status, quam plenis buccis crepant nonnulli, nihil interim pensi habentes quid de Religione & plebeculâ fiat, dummodo pecunias extorqueant, ingeminantes illa verba, Date nobis, date nobis, sicut deterrimus ille Rex Achab dicebat Nabutæ: Da mihi vineam tuam, &c.

b d. c. Violatores glo. c nulli fas est & st 19. c. 1. c generali 25. q 1.

Cap 4.

Serm. 2 in suæ Anniuersarium.

Lib. 5. de Prouid. Dei.

Itaque, frustra turpi suæ causæ colores hos afferre conantur. Aduertant, non esse Catholici nominis diuexare & spoliare Ecclesiasticos, præsertim non subditos, sed potius apud eos instare vt suis precibus diuinum sibi Numen reddant placatum, ne porrò hostes suos infestiores sentiât. Iratus Deus, populum Israël delere decreuerat, sed stetit Moyses in conspectu eius & diuinam indignationem,

ora-

oratione placauit. flamma diuinæ animaduersionis sæuiebat in populum, & Aaron, arrepto thuribulo, medius inter viuentes & mortuos, se flammis obiecit, cessauitque quassatio. Item, contra Amalec Israël præualebat, Moyse orante & erigente manus ad Dominum, & postea, temporibus Iosue, Sacerdotibus vociferantibus muri Iericho corruerunt.

CAP. XXXI.

Excommunicantur qui Iurisdictionem, aut bona Ecclesiastica vsurpant, aut retinent.

EXcommunicatio quæ irrogatur in vsurpantes, aut sequestrantes bona Ecclesiæ, est Canonis latæ sententiæ, Bullæ Cœnæ Domini, cuius rigorem & antiquitatem ante 400. & amplius annos in Ecclesia receptam, notat Gregorius Sayrus: verba Censuræ istius Bullæ sunt ista: Qui Iurisdictiones, seu fructus, redditus & prouentus ad nos & sedem Apostolicam, & quascumque personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant, vel etiam quâuis occasione, vel causâ, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressâ licentiâ sequestrant, &c. Quibus verbis clarum, & indubitatum est, excommunicari Dominos temporales, qui bona Ecclesiæ vsurpant, aut sequestrant, aut Ecclesiam illis spoliant, & in proprium vsum conuertunt, vt dilucidè Sayrus & Suarez in explicatione dictæ Bullæ ostēdunt.

In illius expos.

Sayr lib 3. Suarez to. 5. disp. 21. sect. 2.

Quinimò, in diuersis Ecclesiæ Cōcilijs eadem statuūtur. Nam in Synodo Romanâ 6. *quæ habetur tom. 2. Conciliorum*, à communione Ecclesiæ repellendos esse statuitur, qui bona

Sub Innocent III. An. Chr. 1198.

„ bona Ecclesiæ retinent, vel vsurpant. Ratio enim exigit,
„ inquiunt Patres, vt qui nulla conscientiæ castigatione
„ corriguntur, Ecclesiæ saltem, & Canonicæ vindictæ acu-
„ leis perfodiantur. Consimilia, & seueriora ordinantur
in Concilio Generali Constantiensi, cuius cōstitutionem
habes supra.

In Concilio verò Generali Lateranensi celebrato sub
Innocentio III. ita in fine statuitur: Volentes igitur super
„ his, Ecclesiarum indemnitati consulere, ac tantis graua-
„ minibus prouidere, constitutiones huiusmodi, & vindi-
„ cationes bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo Eccle-
„ siasticarum personarum assensu præsumptas, occasione
„ laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destitutio, vel
„ destructio dici possit, nec non vsurpatio Iurisdictionum)
„ sacri approbatione Concilij decernimus non tenere, præ-
„ sumptoribus per censuram Ecclesiasticam compescendis.
Cui conformis, est constitutio Basiliensis, *quæ habetur in cap. cum laicis. vlt. de Reb. Eccles. non alien.* vbi glo. in verbo compellendis, scribit tales vsurpatores ipso iure esse
excommunicatos *per cap. Nouerit* 49. *de sent. excom.*

Idem etiam ordinatur in Concilio Ticinensi sub
Benedicto III. qui insignem suæ ordinationis rationem
in præsentia Ludouici II. Imperatoris subijcit hanc: Si
„ enim hi qui facultates suas pro animarum suarum remedio
„ Ecclesijs contulerunt, præmium merentur, sine dubio
„ damnatione digni sunt, qui eas substrahere moliuntur.
In cōstitutionibus verò Ecclesiæ Oxoniensis in Anglia, *quæ habentur tom. 4. Conciliorum*, consimilem in modum
„ decernitur: Auctoritate Dei Patris & B. Virginis, & om-
„ nium Sanctorum, & præsentis Concilij, excōmunicamus
„ omnes illos qui malitiosè Ecclesias suo iure priuare præsu-
„ munt, aut per maliciam, aut contra Iusticiam, libertates

earundem infringere, & perturbare contendunt.

In Concilio autem Parisiensi, tempore Gelasij Papæ hæc habentur: *Indignè ad altare Domini properare iudicatur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere & iniustè possidere.*

Eodem excommunicationis gladio dicti vsurpatores feriuntur in antiquis statutis synodalibus Ecclesiæ Leodiensis, *cap.* 18. atque etiam Cameracensis *tit.* 13. *incip. Statuimus*, his verbis: Quicumque possessiones personarum Ecclesiasticarum inuadũt iniustè, vel bona ipsorum mobilia rapiunt, vel rapta retinent, nec restituerint infra 15 dies &c. ex tunc, ipso facto eos excommunicamus.

Neque tales vsurpatores & populatores excusabantur apud Deum, prætextu antiquæ consuetudinis, etiamsi immemorialis sit: tum quia, cum sint Laici, & sint incapaces Iurisdictionis Ecclesiasticæ, nequaquam possunt se tueri consuetudine, quæ nunquam legitima esse potest ad præscribendũ; tum quia Iurisdictio Papæ nulli subiecta est in terris: vnde illius simplex tolerantia non sufficeret, ex quo constat summos Pontifices expressè quotannis protestari, per nullum actum, vel tolerantiam se consentire in impedientes libertatem Ecclesiasticam, aut executionem litterarum Apostolicarum, vel vsurpantes bona Ecclesiastica. Secundò, non excusabuntur prætextu priuilegij Apostolici: quia si quod esset tale, reuocatum est, & reuocatur quotãnis per Bullã Cœnæ Domini: quod quidem fieri posse, extra dubium est: nam quilibet Princeps potest reuocare suum priuilegium; ideoque manent isti excommunicati in Bullâ Cœnæ Domini. Sed hodie multi neglectui & contemptui habent fulmina Ecclesiæ, parum attendentes ad illa Christi verba, Petro eiusque successoribus dicta: *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta &* in

Abb. in c. Venerabilem. de electio nu. 19. & est cõmunis DD. sententia teste Feli. in c. quæ in Ecclesiarum, vers quinto declaratio de constit.

Matth. 18.

in cœlo. Per quæ verba, Prælatis conceditur potestas arcendi à communione Ecclesiæ, omnes & quoslibet illam quâcumque ratione infestãtes. quam certè separationem magis metuerent, si insuper verba Augustini iustâ iudicij trutinâ ponderarent, sic dicentis: *Nihil sic formidare debet Christianus, quam separari à corpore Christi.* Tract. 27. in Ioan. & qui merito & cap. omnis Christianus, & cap. nihil 11. q. 3.

CAP. XXXII.

Oblationes furtiuas non recipit Deus.

AB ore veritatis est, *Hostia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere*, id est, ex sceleratè & iniquè partis litantur, vt inquit R. P. Salazar: qui locum hunc ita interpretatur: Siue Deo aliquid, sacrificij nomine, siue pauperi, eleemosynæ titulo offeratur: id certè si ex sceleratè & iniustè acquisitis impendatur, illi inuisum, ac detestabile est. Imprimis enim sacrificia & libamina, quæ Deo offeruntur, propterea illi grata, & iucunda sunt (vt docet D. Thomas 22.) quia is, qui Deo ex bonis suis aliquid offert, illum quidem omnium auctorem, & causam profiteri videtur: nam de acceptis aliquid illi reddens, vniuersa eidem accepta referre videtur. Cum ergò ei, qui fortunas iniustè, & contra fas sibi peperit, Deus habendi auctor, & causa moralis non fuerit, sed magis diabolus ipse, qui iniusti quæstus auaris auctor & largitor est, meritò quidem oblatam hostiam repudiat & refutat: quia per illam impiè admodum iniusti lucri auctor quodammodo exterius renunciatur. Adstipulantur ista Ecclesiastici: *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis.* Iniquos autem, appellat iniustos rei alienæ vsurpatores, qui videlicet ex iniquè partis hostias Deo mactant: subdit Prouerb. 21. vers. 2. Cap. 34.

enim: *Qui offert Sacrificium ex substantiâ pauperis, sicut qui victimat filium in conspectu patris.* Nam cum Deus ob singularem in pauperes prouidentiam, eorum pater dici soleat, quicumque bona ab ipsis ablata, Deo voti causâ exsoluit, perinde facit, atque si filium vnicè dilectum & hæredem in parentis sui oculis enecet. Sicut enim fieri non potest, vt parenti filij mors non valdè displiceat: ita etiam impossibile est, vt Deo talis hostia prorsus inuisa non sit. Quod illustri exemplo ac potius miraculo docuit in vno rustico, qui cum animaduerteret, quam plurimos esse qui donaria deferrent ad sepulchrum Sancti Galli, nec quidquam ipse quod offerret haberet, animum induxit, vt alueare cum apibus alicundè auferret, & apibus extinctis ceram conficeret, quam Sancto Gallo posteà offerret. Verùm, Dei prouidentia factum est, vt cum is ceræ donarium offerre vellet, illam in lapidem durissimum mutatam cerneret: quo timore perculsus, vni ex socijs itineris reatum suum ingenuè aperuit, teste Walfrido Strabone. quem totidem verbis refert eminentiss: Card. Baronius.

Baron. t. 9. Annal. an. Chr. 747.

CAP. XXXIII.

Suspenditur quandoque diuina vltio, & quare?

SOlent homines maligni ingenij, & parum exercitati in rebus spiritualibus, de Superis queri, parum iustè Deum differre vindictam malorum; sed non considerant Deum Opt. Max. omnem animaduersionem & castigationem ad salutem generis humani datam proferre, & si vltio in executores suæ Iustitiæ sistatur, non ideò tolli. Hic enim est Diuinæ prouidentiæ, vt sic dicam, mos, vt paullatim & per incremẽta temporũ ad destinatos quosq: fines perducat, vndè fit, vt nec omnia scelera statim punire velit, nec omnia relinquere impunita. Si nulla puniret,

nullam

nullam esse prouidentiam multi dicerent, si verò mox puniret, nihil post hanc vitam vel præmij, vel supplicij superesse crederent. Ita Deus dum quædam punit, prouidentiam suum ostendit, dum quædam relinquit impunita, vel ad maiora huius vitæ, vel ad futuræ reseruat supplicia. Non nesciuerunt Ethnici ipsi: *Œdip apud Soph. c. Colon.*

Magnos nihil fugit Deos: tardè licet
Veniat, venit tamen horrido pede cælitus
Delapsa tandem pœna, eosque corripit
Pietate qui spretâ, atque honesti vinclis
Ruptis, ruunt dirum in furorem.

Præclarè Valerius: *Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatéque supplicij grauitate compensat.* *Lib. 1. c 1.* & Magnus ille Cæsar Iulius in suò paganismo: *Consueuêre Dij immortales, quò grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci volunt, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* *Lib. 1. Comment.* Pulcherrimè Optatus: *An quia cessat talis modo vindicta, ideò tibi cum tuis* (Donatistis) *vindicas innocentiam? ad exemplum præsens pœna compressit; secundam iudicio reseruauit.* *Lib. 1.* Itaque *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* *Prou. 16. v. 11.*

Dilationis vindictæ Diuinæ, in Saule patet, qui licet simul ac deliquisset, sententiam Regni priuationis acciperet, dicente per Samuelem Domino: *scidit Dominus Regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo meliori te;* *Cap. 1. Reg. 15.* executio tamen sera fuit; non enim Regnum Dauid accepit, nisi post obitum Saulis, vt ex sacra pagina notum est. Vnde scitum Beati Leonis Papæ dictum: *Abutuntur quidam patientiâ Dei: & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longâ impunitate securi; cum ideò differatur vltio, vt tempus possit habere correptio.* *Serm. de Pass. Dom.* Quod in *Henrico* Imperatore animaduersum est, qui à proprijs filijs regno pulsus & exul mori *Baron. to. xj. anno Chr. 1080.*

turpiter coactus fuit. Qui enim *Gregorium* Papam contempserat, Ecclesiæque libertatem pessumdederat, à filijs suis ipse despectus, & extorris mori coactus est: Volebat enim ipse impedire Appellationes (vt nonnulli hodie) ad Iudices Apostolicos. quâ de re plura non addam, cum satis fusè hæc tractata sint in Opusculo nostro, de Appellationibus à Iudicibus Ecclesiasticis in causis ciuilibus inter laicos ab Imperiali Camerâ non recipiendis. Itaque stylum conuertam ad constantiam in publicis malis fortiter retinendam.

CAP. XXXIV.

Dei permissione, Ecclesijs persequutiones, clades, & flagella immitti: Sed væ illis, per quos hæc fiunt.

ECclesiæ Mastiges maiorem vtilitatem afferre Episcopis, cum eos persequuntur, quam cum illecebris blandiuntur, docet S. Ambrosius: Nam ad coronam, inquit, *Apud Baron tom 7 Annal.*
" Sacerdotum, permittit Deus scelestos Principes insanire
" furereque aduersus eos, quò quid in eis intus virtutis lateat
" foris appareat, & qui in vasis fictilibus thesaurus occulta-
" batur, in multorum vtilitatem effundatur, & lumen quod
" reconditur in lagenis militum Gedeonis, ijsdem perfractis
" foris appareat, quò Sancta Dei illustretur Ecclesia.

Consimilem in modum, Zepherinus Papa ex vero scrip- *Epist. 2. ad Episcopos Ægypti quæ extat. Vol 1. Concil. p. 144.*
" sit: Iusto Dei iudicio datur, inquit, plerumque peccatoribus
" potestas, quâ Sanctos ipsius persequâtur, vt qui spiritu Dei
" iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.
" Ipsis tamen qui eos persequuntur, & exprobrant, atque de-
" trahunt, erit proculdubio, væ, væ. væ illis qui detrahunt
" seruis Dei: quia detractio eorum ad eum pertinet cuius
" ministerium agunt, & vice funguntur. *Ita Zepherinus*

Papa;

Papa: cui adstipulantur ista Beati Cypriani: Nemo no-
„ strum, quādo læditur, reluctatur, nec se aduersus iniustam
„ violentiam vestram, quamuis nimius & copiosus noster
„ sit populus, vlciscitur. Patientes facit de securâ vltio-
„ ne securitas: innocentes nocentibus cedunt: insontes pœ-
„ nis & cruciatibus acquiescunt; certi & fidentes quòd in-
„ ultum non remaneat quodcumque perpetimur: quantò-
„ que maior fuerit persecutionis iniuria, tantò & iustior fiet
„ & grauior pro persecutione vindicta. *Hæc B. Cyprianus ad Demetrianum.* Sed væ talibus, ter & amplius væ Con- *Epist. ad Demetrianum.*
siliarijs, qui placentia loquentes, & gratijs litantes, (quia fortassis sunt Pensionarij aliorum Principum) susque deque habent iura Ecclesiæ, pessumdant libertatem Ecclesiasticam, aut iniuriam illi illatam dissimulant, illius bona, velut si in hostico essent, direptioni militum concedunt, & si quæ Ecclesiasticorum, vel miserabilium personarum querelæ deferantur, surdis fabula narratur, vt sæpissimè contingat anginâ argentariâ laborantem Demosthenem, elinguem reddi, sed præstare facundiâ, si agat pro Rege Macedonum.

CAP. XXXV.

Solatium in malis publicis, & exhortatio ad Constantiam.

CAssiani, auctoris de meliore notâ, effatum est: Credere inconcussâ fide nos conuenit, nihil sine Deo prorsus in hoc mundo geri: aut enim voluntate eius, aut permissu agi fatendum est: sic à Deo non possunt non esse bonæ clades, siue originem intueare, siue finem: illam, vtpotè à Deo, summo bono, & bonorum omnium auctore, qui permittit malos ideò viuere, vel vt ipsi corrigantur, vel *Coll. 3. cap. 20.*

Quid querimur, aut ingemiſſimus? noxis & peccatis noſtris debemus adſcribere, ſi quas belli, aut alias ſuſtinemus calamitates. Iuſtitiæ enim Dei æterna & immota lex poſtulat peccata hominum aut emendari, aut tolli. Si tu à Deo puniaris, & quidem longè remiſſius, (quod Dei proprium eſt) quam ſis meritus, cur detrectas pœnam perſoluere? vt ignis, aut aquæ luſtratio quædam adhibetur ad ſordes eluendas: ſic clades ad peccatorum purgationem. Rectè, & aptè Theophilus Bernardinus. *Subtiliſſimè* inquit, *noſtris erroribus & peccatis inſinuat ſe Deus, non vt approbator & particeps, ſed vt auerſator & corrector, qui ex malis bona plura, quaſi ignem ex aqua educit.* Id præclarè confirmat D. Auguſtinus agens de obſidione Vrbis Hipponenſis, cuius ſermonis meminit eminentiſſimus Cardinalis Baronius: Quoties, inquit, hoſtilitas aut mortalitas iuſto Dei iudicio nobis fuerit irrogata, non eius iniuſtitiæ, ſed noſtris hoc peccatis imputare debemus: quia ſicut dicit Apoſtolus: non iniquus eſt Deus, qui infert iram: multorum enim moribus atque clamoribus exagitatus eſt mundus. Et vt ex hoc omnes intelligere poſſint apertius, charitati veſtræ inſinuo: Sic ſunt boni & mali, quomodo ſi duo vaſa ſint plena, & vnum habeat putredinem & aliud aromata pretioſa cum vno ventilabro ventilata: illud vas, vbi fuerint aromata, odorem deſiderabilem, aliud autem fœtorem intolerabilem reddit. Ita ſimul boni & mali indiſcretè quidem turbati, ſed alto Dei iudicio ſeparati. Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit: qui boni ſunt, velut Sancta vaſa, gratias agũt Deo, qui eos caſtigare dignatur; illi verò qui ſunt ſuperbi, luxurioſi, cupidi, blaſphemant & murmurant contra Deum, dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, vt talia patiamur? vnde fit vt infœlices iſti amore huius vitæ alligati, nec iſtam tenere

possint & illam sempiternam, de quâ fugiet dolor & gemitus, amittant, & quod peius est, nec ista mala præsentia possunt euadere & ad illa quæ æterna mala sunt eorum crimina faciunt peruenire.

Non lubet abire ab Augustino, cum quo caput istud, & opusculum claudam: *Deus*, inquit, *quasdam voluntates suas, vtique bonas, ita implet per malorum hominum voluntates malas; sicut per Iudæos maleuolos, bonâ voluntate Patris; Christus pro nobis occisus est, Propterea magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo nihil fiat præter eius voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens, nec sineret bona fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.* Obserua hoc, mi Christiane, non fieret; si non sineret, nec vtique nolens sinit, sed volens.


Cæterùm, dum hic finio Dei permissu qui dedit ista velle & perficere, ad te Marcsi, tuique similes regredior, qui ab vnitate veræ Ecclesiæ nequiter recessistis, eamque omni quo potestis modo diuexare, deturpare, ac spernere non cessatis; & quorum horrendos in hâc Parænesi legistis exitus, eorum non solum detestemini acta, sed à similibus ausis deinceps desinite, nisi velitis eodem, aut pei ore mortis genere certò perire. Si verò mihi hæc fideliter referenti minus creditis, ad auctores omni fide dignissimos vos remitto, qui mihi præscripta omnia exempla, in vestri confusionem & cōdemnationem, suppeditarunt, ex quibus addiscetis omnes sectarios (Auos & Proauos vestros) non tantum æternâ, sed etiam temporali, eâque multiplici & horrendâ pœnâ tantùm non semper diuinitùs punitos fuisse.

Rursus, ad nonnullos Pseudopoliticos non minus Ecclesiæ nociuos, quam sint ipsi Hæretici, reuertor, & quod supra

ſupra monui, illis iterùm repeto, nempe; ſicuti aquilarum plumæ aliarum alitum plumas deuorant, ita Eccleſiæ bona rapinis conuaſata, raptorumque bonis intermixta, plerumque euanida, & hoſtibus fidei prœda fiunt; quod fortè tolerabile, ceù tranſitorium foret, niſi inſuper perpetuum ignis æterni ſupplicium impios & ſacrilegos iſtos homines maneret. nam ſi in ignem æternum ibunt qui opera miſericordiæ nō fecerūt, non ibūt qui Eccleſiæ, charæ Chriſti ſponſæ, bona paſſim iniquiſſimè vſurpant & retinent? In quo ego tandem manum de tabulâ, qui ſcriptiunculam hanc lubèns Cenſuræ ſanctæ Matris Eccleſiæ ſùbmitto.

FINIS

Ad maiorem Dei gloriam & Eccleſiæ Catholicæ illuſtrationem & propagationem.



quidem possit, vt Hauzcurium mones, pag. 4. cum tu *in Omnes* vti dixi, insurgas.

De Monachis nihil dicam, cum illorum ferulæ, multos adhuc annos, subiacere possis. Hoc tantum Lectorem monebo, operæpretium esse, animum aduertere, quam studiosè varia Monachorum genera, &, vt sic dicam, Classes congesseris, & in maledici libri tui caueam, pullorum instar, incluseris. Videntur ibi *Monachi ad Anticyras*: quasi tibi non creuerit, quidquid aliquot seculis Hellebori, in illâ Insulâ creuit.

Crede mihi, *Anticyram ratio tibi destinat omnem*:
Quin *tribus Anticyris caput insanabile nunquam*
curaueris. Insanabili illo morbo dirè diuexatus, & agitatus, exagitas *Monachum Rhapsodum*, & hoc vocas, *Iudicium*. Quid tu Iudices, qui
Insanire paras certâ ratione, modoque?
Si quid sani tibi retineret synciput, videres, totum tuum scriptum, esse meras Rhapsodias, quibus varia tibi fingis Monstra, in quæ helleborosus inuadis.

Somnias deinde nescio quem *Monachorũ Hyperaspistem*: quasi cuiquam scuto opus sit contra tela tua Imbellia, & sine ictu Denique infelici *Monacho Excucullato*, ipse te *Hyperaspistem* præbes: ac si defendi posset, qui ipse se iugulârat. Hæc tu videlicet Opima spolia iudicasti, Excepisse, & tutatum esse illud propudium, illud seruorum DEI Peripsema.

At tu, Emmerice, redi ad cor, redi ad Ordinem tuum, vt te tam amanter inuitat tuus Prouincialis: redi ad Christum: præopta resumere cucullum, quam adhærere isti Cuculo Maresio, qui S. Augustini Prolem sibi it suppositum: Resume, inquam, AugustinianumCucullum, & proijce illum Bardocuculum Maresianum qui

Cercopithecorum penula nuper erat,

& nunc est. Quid enim est iste, & eius socienni Ministri, nisi Circopitheci, & simij turpissimi, qui ridiculâ imitatione, & κακοζηλίᾳ pro Pastoribus se gerunt, à nemine missi, authoritate nusquam acceptâ, nisi à seipsis? Vult tamen Cercopithecus Maresius censeri, & videri Pastor, & Pastoribus similem se putat, sicut

Simia quam similis turpissima Bestia nobis!

Sed miror, hunc simium, qui tot Monachorum nuncupationes sibi effinxerit, non meminisse etiam Monachos *Elixos*, Monachos *Assos*, Monachos *Tostos*, Monachos *Frixos* atque adeo Monachos *Distillatos* aut *Extillatos*: maximè, cum quantum in se est, tales concinnet, & Lectoribus suis propinet. Nec desunt illi instrumenta, quibus eos tales faciat, aut conetur. Nam guttur eius est *cacabus* elixandis; dentes, *craticula* assandis; calamus, *veru* torrendis; lingua, *sartago* frigendis: improbum denique, versatile, & ἐσθαμμένον ingenium, *distillandis*, *&* *eliquandis*. vt toto maledico suo libro ostendit. Sed satis de *Monachis*, qui se facilè tuebuntur, & incolumes præstabunt, contra huius deplorati Gladiatoris petitiones. Videamus iam paucos alios è multis, quos hic Pantomachus, & Pantomimus, furiosi instar Tauri, incurrit. In his recensendis, aliquo ordine vtar, cum ipse, nec ordinem vllum, nec methodum seruauerit,

1. Primo loco, ponamus omnium PRIMVM, nempe *Christum* IESVM. Pag, 81. negat Christomachus, & Theomachus Minister, Ex scripturis sacris posse apertis verbis demonstrari IESVM *esse Christum*. Itane, impie? itane, Adulter Verbi Dei? Ergo scriptura non est; ergo Magister scripturæ non est, qui Mulieri Samaritanæ, Io. 4. v. 26. disertis, & clarissimis verbis dicit: *Ego sum* (Messias, & Christus)

Christus) *qui loquor tecum?* Ergo clara scriptura non est: ergo non idem scripturæ Magister est, qui summo sacerdoti, Mar. 14. v. 61. dicit: *Ego sum?* nempe *Christus, Filius* DEI *benedicti?* Tene adhuc à tuis Reformatis tolerari, qui cum illis, vsque, & vsque scripturam inculces; & interim cyclopico ore neges, primarium Christianę Fidei Dogma, è scripturâ posse demonstrari; quæ illud, & duobus illis, & tot alijs locis, tam disertè, tam clarè proponat? Apage impium, apage impietatem!

2. Hunc tu honorem habes Christo: videamus, quem habeas eius Matri. Eius Imaginem, pag. 283. & 322. vocas PVPPAM: & posteriore loco, Catholicos, qui Imagines sacras colunt, per diridiculum, vocas *Iconoplastas*. Age Maresi, An dices Moysen *Iconoplastam*, qui DEI iussu, *Serpentem æneum* effinxit, & erexit? Num. 21. v. 8. An Salomonem, qui, eiusdem authoritate, *Cherubim* in Templo posuit? 3. Reg. 6. 23. 27. 29. quorum ἐκτύπωμα in Biblijs tuis Geneuensib. spectare licet. Quid, quod Apostolus Geneuensis Caluinus Patriarcha tuus, te, tuique similes pullos suos, STVLTOS, vocat in hoc argumento? *Quod* STVLTI, *quidam putarunt* (inquit Exod. 20) *hic damnari sculpturas & picturas quaslibet, refutatione non indiget, &c.* Ergo nec ego operam frustra ponam, huius tuæ stultitiæ refutationi. Quæ de Concilijs affers, fulciendæ ruinæ impietatis Iconomachorum, & Iconoclastarum; scis, millies iis responsum à Catholicis Doctoribus. Sed tu insistis vestigijs Præceptotis tui Molinæi: eadem perpetuo inculcas; & nostra Responsa perpetuò dissimulas. Vnum hîc addo, Cum & DEI Matrem derides, eiusque Imagines; & iuxta Caluinum, *stultus* sis: rectè feceris, si Sapientem audies, Prouerb. 19. v. 29. *Parata sunt* DERISORIBVS *iudicia: & mallei percutientes* STVLTORVM *corporibus*.

3. Qui

3. Qui Christum, eiusque Matrem sic colit; videamus, quomodo eius *Vicarium* tractet. Hæreticus non esset Maresius, si de hoc honorificè loqueretur. Pag. 40. *Effert* se (inquit S. D. M. id est, Supremus Dispensator Mendaciorum) *supra omne nomen, & Numen.* Eumdem pag. 76. vocat *Va-Iouem Romanum.* Itane *supra omne nomen, & Numen se effert*, qui in Sacrificio se vocat FAMVLVM DEI, neque aliam Nuncupationem in omnibus Ritualibus Libris, vsquam habet? *Væ-Iouis* est, qui & semper, à Religionis Christianæ conditu: & modò in vtrâque Indiâ, & alibi, apud Gentes immanitate barbaras, omnia Idolorum Monstra, missis veræ Fidei, & Religionis Præconibus, extirpauit, & extirpat? credat hoc, qui credere potest lutulento Sui, Despuenti Monarchas Ecclesiæ Catholicæ.

4. Iam de Ecclesiâ istâ (cuius, romparis licet, Pontifex Rom. Caput est) quid ais? quid in eam, furore ebrius, vomis? Pag. 54. eam nominas *Babylonem magnam.* Tuam Synagogam sic nominare debebas, in quâ mera Confusio: in quâ corpus sine Capite; membra sine ordine: populus sine Magistratu (de Ecclesiastico loquor) Sacramenta sine Ministris Legitimis: Doctrina sine Authoritate: Scriptura sine Sensu, nisi fortuito, & ad cuiusq; libitum: Denique, quã vos *Ecclesiam* vocatis, neque est *Ciuitas in Monte posita*, cum tot secula fuerit *Inuisibilis*: neque *Lucerna super Candelabrũ*: cum non nisi Fumum vomat; nullam Flammam edat, nisi qua Orbem Terrarum Tartareis igeibus conatur incẽdere.

At enim, *Babylonis nomine* (inquis pag. 63. *Romam intelligendam esse in Apocalypsi, non diffitetur Ribera, Lorinus, alij.* Vbi fides? vbi frons? sed ego stultior, qui à te *Fidem* postulem, quam nunquam habuisti: aut *Frontem*, quam perfricuisti, imo defricuisti: vt nulla iam tibi restet, nisi *Meretricis*; vnde *nescis erubescere.* Nam si semuncia Christiani

 pudoris

pudoris tibi reliqua esset; ingenuè agnosceres, quod millies Catholici Authores, tui similibus Ministellulis responderunt; Intelligi *Romam*, sed *Ethnicam* quæ cum esset *Magistra erroris*, (vt loquitur D. Leo Papa,) *facta est Discipula Veritatis*: idque *per B. Apostoli Petri Sedem*: quæ in hodiernum vsque diem, & eandem *Veritatem* tuetur; & inconcussa manet contra Inferni Portas, ad quas te excubare deceat cum Cerbero: cum latrator sis non multò inferior. Ante annos centũ, cum *inuisibilis* Ecclesia tua adhuc cum gliribus dormiret: negare non potes, Geneuensem Ciuitatem, Ecclesiam agnouisse Romanam, & ab eâ Episcopos, & sacra sua accepisse: ac sic, si vertiginoso tuo capiti credimus, erant Geneuenses, cum tot alijs, in confusione *Babylonicâ*. An tu eum ferres, qui Geneuam, ex quo Caluini Euangelium suscepit, adhuc *Babylonicam* diceret, aut *paruam Babylonem*? Si pueri vlmis pinsuntur, deprehensi in mendacio; quid tibi *Tribuno Vapulari* fiet, sic impudenter mentienti.

5. Ecclesiæ Catholicæ, & Gregis Christi illustrior portio, est Clerus: hunc etiam illoto ore conspuis, sacrilego calamo configis. Pag. 230. & seqq. Traiectensib. Ecclesiasticis, tamquam victis, tu Thraso, gloriatum plenissimus, tuorum armis septus, inermibus insultas: & ea obijcis, quæ tua, & tuorum Symmystarum probra sunt. Tune illis *Focos, & Culinam* exprobres, qui Christiano, & optimo iure, ijs vtantur, fruantur, quæ piorum Maiorum Liberalitas; DEVM, & eius fauores promeritura, ijs pietatis præmium esse voluit; cum tu, & tibi concolores vultures, profundâ ingluuie inhiantes, adunco rostro aliena, per summum sacrilegium, deuoretis? Nam quid te aliud Patriam deserere subegit, præter famem, tuis, tuorumque intestinis affixam? Illa, illa te, tamquam lupum vesperti-

num

num è siluis expulit, vt Christi ouilia inuaderes, ouiculas innocentes mactares, manderes, vorares. Agnosce te, & tuos in hâc Pictura:

———————————— Lupi ceu
Raptores, atrâ in nebulâ, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus expectant siccis ——— Aeneid 2.

Ridicule insanus es, dum nobis persuadere vis, te, tenebrionem caliginosum, *diuinitus euocatum, deferendo Cælesti lumini*: & *Ministerium tuum, sub* Numinis *auspicio, prospere procedere.* Nemo Sapiens, qui hæc legat, vel audiat, statuere possit, Ringendū sibi, an Ridendum. Miser Impostor! Nobis liquidò constat, ne vnum quidem, *tuo cœtui accessisse* (vt vanitatis plenus iactas) qui non pridem per Hæresin occultam, esset filius tenebrarum. Quære à tuo Hottonio, & vicinis Rabulis, An Auditores habeant, præter fæces, & sordes precario, aut nummulis conductas? Habeas tibi hanc gloriam: & haud scio, quàm diu.

6. Iam Clericos Regulares Societatis IESV, non esses qui es, impijssime IESV-Masttix, si tacitus præterijsses. pag. 36. 38. 39. tuo, & tuorum more, Seditiosos illos concinnas: id est tuam illis fuliginem affricas. Nequicquam. Scis, quid toties isti furiosæ calumniæ sit responsum. Exacti sunt ex Galliâ: sed Edicto Regio, & omnium Parlamentorum, cum honore restituti: quod, toti orbi notum, tu malignè dissimulas. Pag. 99. Proditores ais Iesuitas, Reip. Leodiensis, esse notum Lippis, & Tonsoribus. Tu *Lippus* es, imò *Cæcus*, aliorum Cæcorum ductor; qui cum ijs in foueam infernalem præceps ruis:

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματα.

Tu ille *Tonsor*, qui sine pectine, strictim bonos omnes attondes, imò deglubis, quà potes:

Inter

Inter Iesuitas, non potuisti duos vicinos, intactos omittere. Est in Ecclesiâ Cathedrali Concionator ex eo Ordine. Ab illo fingis, *te tuosque, pro concione diffamatos*: qui te, millenis aliquot testibus, tam pudendi mendacij arguere possit, si dignetur tui mentionem facere. Nunquam illi in mentem venit, te, tuosue nominare; nunquam te illo honore dignum ducet: qui *ater sis, an albus*, non magis nouit, quàm tuus Zuinglius, suum *Spiritum*: qui cum *Diabolus* sit, & illum, & te, docuit *calumniari*.

Sed in Robertium, eiusdem Sodalitij, multò sæpius, multò maiore rabie insurgis. Nunquam te ab illò, vel verbo læsam ostendes. Quid igitur peccauerat? Multa vtique. Nempe responderat putidis *Quæstiunculis*, à te, aut alio tibi simili, sparsis: quibus, ceu laqueis, simpliciores Catholicos, in Hæreseos fraudem inducere tentabatis. Sed dic, Sodes, Maresi, Cur Responsum petebatur, si, qui responderet, eius caput, sacrum futurum erat? Sic olim Iudæi, Christo respondenti inclamarant, *Blasphemauit*. At *Parabolas* scripserat. An tu eas vniuersè damnas? damna igitur & Prophetas, & Apostolos, & ipsum Seruatorem Christum, qui vsi, & hic frequentissimè: adeo, vt de eo dixerit Euangelista: *Sine Parabolis non loquebatur eis*. Ad enim, inquis, non *Parabolas* omnes damno, sed illas Robertij; cur igitur non refutas? cur non ostendis, aut vanas esse, aut probandis ijs parum aptas, ob quæ afferebantur?

Minaris, *Orthodoxis* tuis *pœnas daturum*, *ictum Fulmine Scripturarum*. Bruta Fulmina! nec è cælo, sed è *Paludibus* Maresianis, Ranarum meræ coaxationes. Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ. Caue, caue, miser Ranuncule, ne

Fulmineo pereas, imitator Fulminis ictu:

Scripturas perpetuò crepas; sed potius seriò crepes, quam

ex ijs

ex ijs Iota, vel apicem contra Ecclesiæ Rom. Religionem producere possis, nisi sensu, à vertiginoso cerebro tuo, afflicto. Quidquid sit de *Fulminibus* tuis, vbi tandem Pœnę illæ, quas intentas! Annus abijt, ex quo Epistolam illam comminatoriam scripsisti, & post annum, alter mensis, cum interea nec *Responsio* vlla, nec *Fulmina* apparent. Crede mihi, non timet ille Entellus te Daretem.

Tutabatur se Robertius titulo *Possessionis*. Tu rides. An non potius *rudis*? sanè illud *Ridere*, est *Rudere*. Hoc, inquam, est, Vsininum iudicium præferre iudicio Orbis Terrarum.

Damnas, pag. 39. Scriptum Robertij ad piper, vnguenta, & alia sordidiora. Quid mirum? *Copronymus* es: nil, nisi sordes meditaris, in quibus, scarabæi instar, volutaris.

Vocas illum *Traditorem*, quia videlicet *Traditiones*, simul cum Verbo DEI scripto, complectitur. Sed eâdem operâ Apostolum sic voces, qui idem facit, & fieri iubet 2. Thessal. 2. v. 15. Quid diceres, si quis te *Scribam* apellaret, & *Pharisæum*, quia *Scripturas* solas recipis?

Necdum Societatem IESV deseris. Quin eius, secũdum DEVM, Authori, & Parenti, iam Cælestibus aggregato, *Gigantum fraterculus*, insultas. Sed bene habet, quod id non potuisti, nisi palpabili mendacio: cuius tota Roma, & tot aduenæ te conuincent: dum pag. 100. fingis, *S. Ignatij Simulacrum, cum Romæ, quibusdam machinis, quasi in cælum eueheretur; fractis funibus, decidisse in Tartarum.* Vt verbo te absoluam, mendacium hoc est Tartareum. Nihil planè tale contigit: nulli ibi funes, nullum simulacrum, nulla euectio. Tibi conueniant funes, quibus, vt furiosus, alligeris. Commendo hoc, ex Iuris formulâ, agnatis tuis, & maximè vxori. Sed iam satis de Iesuitis: quos, quoties inuadis, *Tergum*, vt ille ait, *Subijcis culcitram vibicibus.*

vibicibus. Et credo, toto tibi corpore iam eminere, digitum crassas. Fruere.

7. Abeo à Iesuitis; sed necdum à Religiosis omnibus: quorum odium plus quàm Vatinianum eò te adduxit, vt pag. 318. ausus fueris dicere, *Magnates Religiosos*, FVRES *esse*. Neque excipis Reges, & Regum filios, vt de te probes illud dictum: *Maiestatem blasphemant*, Iud. v. 8. Sed quid tibi in mentem venit, vt, probaturus, *Fures* esse, adderes illam rationem, Quia *affectatâ mendicitate veris pauperibus subripiunt piorum Eleemosynas*? Nonne tu, & tui similes Harpyiæ, immani Sacrilegio, ex perpetuâ rapinâ victitatis, pulsis per vim, & latrocinium, tam multis *veris pauperibus*, qui *piorum Eleemosynis* piè viuebant? Itaque te illa ratio propriè *Furem* probat, *Trium literarum hominem*: vt iam vulgò haberis, & verò es, *Trium literarum Doctor*: quod Gallis, vt opinor, est stultus, *vn Fol*.

8. Non soli Principes Paupertatem professi, te Aiacis flagellum quatiente, vapulant. Serenifs. Princeps Ferdinandus, Vtriusque Bauariæ Dux, Archiepiscopus, & Elector Coloniensis, Episc. & Princeps Leodiensis, & quem pag. 11. agnoscis, in ista ciuitate Traiectensi (in quâ Latratorem agis) habere suos Ministros, non minus, quàm DD. Ordines: Princeps, inquam, ille, talis, ac tantus, in tua Præfatione, pag. 3. hæc à te eloquia audit, quæ Orbis legit: *Furore perciti* (de Principe tibi sermo est, qui Edictum illud publicauit, quod infernali furore percitus ipse, ita exagitas) *& Vatiniano odio in Veritatem, penitiores animi sui sensus; omni abiecto pudore* (impudentissimum os tuum, qui sic de Celsissimo, & modestissimo Principe, publicitus scribas!) *recluserunt, atque Edicto publico, Gallicè, & Belgicè edito, quale qucusque nunquam visum est, nisi apud Iberos, & trans Alpes, Christianorum manibus Diuini Testamenti tabulas omnes excutere*

excutere, proteruè annisi sunt. Longè aliter veteres Episcopi, &c. Si hæc ita facta, tecum fingamus; quæ tamen est ratio, vt tu, tu, inquam, Diuinæ, & humanæ Maiestatis perduellis, ista moneas, & sic impudenter è Paludibus tuis hæreticis, grauis in primis, Censor, coaxes? Sed quis te ferat, *Veritatis* scilicet, causam agentem, qui totos mendaciorum exercitus in Hæreseos campum ducas, & Catholicæ *Aciei Castrorũ Ordinata*, opponas? Abi Drance vanissime! *At proterue excutiuntur Christianorum manibus Diuini Testamenti tabulæ.* Hoc obijce tuis Geneuensibus, qui *Tabulis* illis sacrilegas manus iniecerunt: & DEI Verbo, verbum Dæmonum, adulteri corruptores, substituerunt, & populo consignarunt. Abi ignauissime Fuce, Te Catholicæ Apes, prophanum pecus, à sacris præsepibus arcent. *Veteres Episcopos* memorare audes, qui te, vt olim hanc vitam degentes; ita modò, æternâ perfruentes, Anathemate millies repetito, æternæ morti, nisi resipiscas, addicunt. At vbi eras, cum in illis laudares Presbyterium, & Sacros Ordines; negaresque, sine illis, vllam vlli esse *Iurisdictionem*, qui scires, Caluinum, totumque eius Hæreticum Gregem, eos *Ordines* detestari, & è Sacramentorum numero exturbasse? Vapula, *Tribune Vapularis*, vapula, ob ignorantiam, & incogitantiam.

9. Non contentus, *Veteres Episcopos*, dum illis honorẽ habere vis videri, irrisisse, eosdem, aliósque Sanctos, iam cum Christo regnantes, vt Lycisca, Lunam, allatras ore planè canino. Pag. 112, de S. Thoma Aquinate, ita pronuntias: *Scio, Thomam fuisse Idololatram.* Idololatram, qui grande, & nobile opus contra Gentiles, & Idololatras conscripsit? nihil hoc tua refert, qui Scientiâ inuersâ, scis, quod nusquam est: nescis quod est.

Pag. 316, rides S. Huberti *cauterium* (hic iterum vapula,

qui ſcribas, *Cautherium*, cum paſſim importunè Græculus videri affectes) *rabiei*, vt loqueris, *perſananda*. Os blaſphemum! Caue, caue, impie Luciane, ne illud *Cauterium*, in *rabiem* te porrò adigat, quâ pridem non modicè agitaris. Audi, quod pridem à Sancto Adoleſcente audiuit Rex, audi ſcurra, audi ludio: *O ſcelesſte, & omnium hominum flagitioſiſſime, noli fruſtra extolli vanis ſpebus, in ſeruos eius inflammatus: Nondum enim omnipotentis Dei; & omnia inſpicientis, iudicium effugiſti*. 2. Mac. 7. 34.

Pag. 218. S. *Cyprianum* ſcribis *mortuum eſſe ex tra communionem* Eccleſiæ Romanæ. Iterum vapula ob mendacium. An tu fungos tui ſimiles, in *Romanâ Eccleſiâ* eſſe cenſes, qui pro magno Sancto colerēt eum, quem hoſtem ſuum ſcirent perennaſſe? Ad ſcholas Mareſi, ad ferulas. Lege Baronium, anno Chriſti 258. & iterū, atque iterum vapula.

10. Hactenus è multis pauca obiter retulimus, ex quibus apparet, qua reuerentiâ de *Hominibus Magnis*, & *Sanctis* loquaris. Sed ſunt præter Homines, alia quoque, quæ ſub Cenſuram tuam voces. *Hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium* tibi nauſeam mouet. Pag. 317. de Antiquitate Eccleſiaſtica ſolicitus, tanquam ſi Hieronymus aliquis ſis, aut Auguſtinus, hoc votum concipis: *Vtinam extarent Acta vera priorum Epiſcoporum Tungrenſium: ex ijs facilè apparêret, quam longè abſint ab eorum Simplicitate, & fide, qui de ipſorum Succeſſione gloriantur*. Ridicule Mome! Siccine ſatis tibi eſt, *Scriptores Antiquos* pro arbitrio damnare, & ſine vllius *Antiqui* authoritate, aut teſtimonio, de rebus antiquiſſimis pronuntiare; idque ſolum, quia ſic ſentis, aut ſic optas? Quantò rectius optaſſes, vt extarent *Acta vera Eccleſiæ tuæ Inuiſibilis*, ex quibus appareret, quid Andabatæ Maiores tui, in Aegyptiacis illis Tenebris egerint

& quæ

& quas pugnas contra commentitium Antichristum pugnauerint. Magdeburgenses certè Centuriones, quantauis adhibita diligentia, nihil repererunt, quod narrarent. Quid mirum? Nihil erat.

11. De *Schismate* dum agis, pag 39. & 318. tam non modò improbus, sed stupidus, & amens es, vt & fatearis, tuos Patriarchas eos fuisse, qui Ecclesiam Rom. DESERVERINT: & tamen eos neges *Schismaticos*, ac potius velis, ipsam Rom. Ecclesiam fuisse, & esse *Schismaticam*: tamquam si is potius sit *Schismaticus*. qui DESERITVR, quàm qui DESERIT: aut ab ijs, qui *erant* DESERI potuerint, qui *non erant*. Ad *Antyciras* stolide, & furiose Ministelle, quo alios mittis. Ibi *Helleborum* pota, & vapula: & sic, si sperari potest; disce sapere.

12. At etiam de *Miraculis* loqui audes, pag. 69. & 116. eaque, quæ in Ecclesiâ Rom. fiunt, Rhinocerotis naso suspendere. Hoc potius agere debebas, vt ostenderes, in tua *inuisibili* Synagogâ, *Miraculà* reperiri; quandoquidem, *Extraordinarie* se missos profitentur eius primi Archisynagogæ. Neque planè esses irritus laboris. Nam reperires in Luthero: qui Cacodæmonem è puellâ exacturus, ab illo exactus est, propè strangulatus: & in Caluino, qui, dum fingit, se Mortuum ad vitam reuocare; è viuo, fecit Mortuum: quod genus Miraculi, Latronibus vernaculum est. Si hæc, quâ impudentiâ es, negas; milleni testes te conuincent, & ad Flagra ablegabunt: quibus acerrimè vapula.

13. Cercopithecum aiunt, gustatâ semel carne, adeo illi edulio inhiare, vt si aliunde non suppetat, caudam ipse sibi arrodat. Tibi simile quid vsu venit. Cum in omnes, & in omnia pugnasses; neque aliud esset, in quod irrueres: in TEIPSVM irruis, teipsum deuoras, & famam tuam.

Nonne id agis, dum te IMPOSTOREM profiteris, & probas? Pag. 63. ecce tua verba: *Illi* IMPOSTORES, *qui artificiosa Mendacia popello propinant.* Accipio hanc tuam diffinitionem. At tu, relege, quæ scripsisti pag. 18. de Cõcionatore Iesuita, qui te tuosque, publicè, scilicet, in Concione diffamauit. & quæ de S. Ignatio, pag. 100. *cuius Simulacrum funibus fractis, decidit in Tartarum.* Vide quæ de vtroq; hoc tuo Mendacio scripsi §. 6. Hoc sanè est, præclarè te probare *Impostorem.* Vt sileam, Totam tuam *Monachomachiam,* meram esse *Imposturam:* in quâ, cum omnia carpas, & laceres, nihil tamẽ iure carpis, nisi quod iniuriâ finxisti.

14. Consultò inter tot Magnos Viros, nihil dixi de plurimum Reuerendo, atque Amplissimo Viro, D. *Ioanne à Chokier,* Leodiensi Patricio, Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonico, & Serenissimi Principis Nostri Vicario Generali, Iuris Vtriusque, & Multigenæ Eruditionis Peritissimo, & Consultissimo: quem tu in furiosâ tuâ Præfatione, tibi similem, (quod in te est) facis, dum Principis Auctoritatem falsò vsurpasse mẽtiris: & alibi, tum ipsum fuisse tuæ Irreligionis: tum Parentem eius, Virum Clarissimum, in eâdem, diem obijsse. Quâ Calumniâ, nec ipse Diabolus, Calumniarum pater, atriorem fingere possit. Cuius nomine iterum esto Impostor, & iterum vapula. Nihil tamen aliud opponam. Non deerit ipsimet calamus, & Atramentum, te dignum, quo impudens illud tuum os obruat.

SATISFECISSE videor Proposito: id est, Ostendisse, Marcsium, pro *Monachomachiâ* scripsisse, PANTOMACHIAM, & non contra Monachos tantum, sed contra OMNES, & OMNIA pugnasse. Addendum iam aliquid, de Libri eius Formâ, & Ornamentis: ex quo apparebit Auctoris Eruditio, Modestia, Pietas, & quàm meritò vbique vapulet Tribunus Vapularis,

MONACHOMACHIAE MARESII,
Tribuni Vapularis
IDEA.

TOTVM Opus, Inanijs plenum, vanitate, & leuitate plenissimum, solis *Maledictis*, *Conuitijs*, *Iniurijs*, *Contumelijs*, *&* *Mendacijs* turget, & tumet. Author vbique δαιμονοφόρητος, quidquid Diuinum, blasphemat, & DEVM ipsum, & Christum eius. Prima, vltima, mediæ Paginæ, ac prope singuli versus, Cacodæmonem Scriptori, velut ἐντελέχειαν, insidentem, & præsidētem, manifestè produnt.

Epigraphe ipsa, pro *Vindicijs*, furiosam *Vindictam* spirans, Authoris *strophas*, *Argutias*, *&* *Calumnias*, *Monachis* innocentibus calumniosè attribuit.

Vltima pagella, Christianum,& Religiosum hominem ad *Apostasiam* à Christo, & Religione hortatur.

Mediæ Tartareum Venenum vndequaque spargunt, & nec Terris, nec Cælo parcunt. Hæc totius propudiosi Libri *Anima*, hoc *Argumentum*. Neque expectet Lector, vt id probem: sat est, Librum ipsum legere, aut repetere, quæ supra scripsi. Particularia tamen, è plurimis paucissima, ista vide.

MALEDICTA, ET CONTVMELIÆ.

In Præfatione, hæc obseruo: *Bestia*, *Titanij conatus*, *Labascens Idolum*, *Furore perciti*, *Ferinâ animi contentione*, *Colluuies Monachorū*, *Locustæ Apocalypticæ*, *Monstra*. Pag. 1. *Homo clamosus*, *Animal gloriæ*. Sed quid ego per singulas paginas eam? totus mihi liber describendus sit. Cui lubuerit videat pag. 52. 54. 55. 56. 64. 76. 91. 92. 101. 173. 203. 254. 271. 273. 314. 328. 355. Inueniet conuitia demensa, *non modio, aut trimodio, sed toto horreo*. Denique, de toto libro

bro pronuntiari poteſt illud: *Vomica'ſt, preſſare caue*: Hæc, & alia eiuſdem deterrimi furfuris, ſi ipſe maledicentiſſimi oris Mareſius ſobriè conſiderabit, & minus mirabitur, & æquiore animo feret, ſi vera audiendo, partem aliquam eius voluptatis amittat, quam falſa multa dicendo, & inculcando, ceperat. Nec eſt, quod alteri alicui, quam ſibi, imputet; qui antiquorum *Ethnicorum morem, Hæreticus reduxerit, maledicta è plauſtro ſpargendi.*

CALVMNIAE.

PAlam eſt, pleraque, quæ è Mareſij Libro hactenus retulimus, meras fuiſſe *Calumnias*. Lubet tamen quædam hoc loco allegare, quæ, datâ operâ, impudentiſſimè conficta, & Eccleſiæ Catholicæ mendaciter attributa, in vnam paginam congeſſit. Ea pagina eſt 63. In ea Catholicos vocat *Inſanos, qui ſanis Chriſti Domini verbis poſthabitis, ex Traditionum ἀγράφων* lacunis (vide mihi hominis modeſtiam) *malũt haurire*: Vocat *Fatuos, qui Sal ſermonum* Dei *reijciunt*: Vocat *Impoſtores, qui artificioſa mendacia popello propinant, eumque arceant à veris paſcuis Scripturarum*: Vocat *Seductores, qui, Chriſto relicto, qui Via eſt, Veritas, & Vita, ſimpliciores abducunt ad Creaturas, & Idola*: Illos *Achanis pœnam ſubire* vult, *qui* Deo *debita ſuffurantur, atque ſibi vendicant.* Omitto cætera, quæ eadem pag. annectit: quoniam ita fœda ſunt, vt non niſi ab illâ *Paluſtri, Ranâ*, vel potius *Bufone*, enuntiari debeant, aut ſcribi. Sed in illis Calũnijs, illud maximè intolerabile, quod Eccleſiæ Catholicæ aſcribit, quæ ipſius ſunt, eiuſque Hæreticæ Sinagogæ propria, & perpetua. Nam quinam *Inſani, Sana Chriſti Domini verba negligunt*; quinam *ex Lacunis hauriunt, niſi qui totos S. Scripturæ Libros reijciunt*, & pro ijs *Lutheri* alicuius aut *Caluini* verba ſubſtituunt? Exemplum ſit hoc

vnum,

vnum, è millenis: vbi Christus ait: *Hoc est Corpus meum*, substituit Caluinus: *Hæc est Figura Corporis mei*. Hæ nimirum *Lacunę*, dignæ talibus *Ranis*, talibus *Bufonibus*. Qui *Fatui*, & *Infatuati*, nisi ijdem, qui saluberrimum illud *Sal Sermonum* DEI, tam contemptim *reijciunt*? Qui *Impostores*, nisi ijdem, & ijsdem rationibus? Iterum, Quinam *Seductores*, si non ij, qui *simpliciores ad Idola* Phantasticarum Interpretationum suarum *abducunt*? *Achanis pœna* cui iustius debetur, quam ijs, qui è septem Sacramētis, quinque DEO, & Ecclesiæ suffurantur? qui *Corpus*, & *sanguinem Christi* ex Eucharistia exturbant, & eorum vicem, panis bolum, & aliquot vini guttas, Christi perduellibus, perduelles ipsi, propinant: Apage *Insane*, apage *Fatue*, apage *Impostor*, apage *Seductor*, apage *Achanis nepos*, & quisquilias tuas alijs venales propone!

MARESII IMPERIVM OECVMENICVM.

NE mirare, lector, si hunc *Tribunum Vapularem*, *Imperatorem*, & *Monarcham* dico. Suâ quidē opinione est, & pro tali se ostentat: at omnium, qui aliquid sapiunt, iudicio, *Tyrannus* est. An non talis, qui Leges, toto Orbe obtinentes, refigit, suas EDICTIONES BASILICAS promulgat, & ab omnibus seruari vult? Nunquam *Duodecim Tabularum Leges* tantâ Auctoritate locutæ sunt: nunquam *Prętor Romanus* tam absolutè *Edixit*. Totus liber *Edictis* istis, *vsurpatâ Authoritate* turgentibus, scatet. Tamen obserua ista:

1. *Sensus Cōmunis* omnium Gentium, omniū Hominum, (excepto isto *Tribuno vapulari*, qui hominem exuit) eò vsque defert POSSESSIONI, vt dicat, *sufficere Possessori*, QVÒD POSSIDEAT. D. *Vti possidetis* l. 1. §. *Interdictum*. Item, Ius

 potius

Maresij, *&* *Molinæi*: & huic quidẽ apponi Epigraphen, quam suggerit ipse Maresius, pag. 265. NOSTRI DECVS SECVLI DOMINVS MOLINÆVS: illi verò: TRIBVNVS VAPVLARIS OECVMENICVS. Porrò in ipsâ Arcus curuatura, cubitum longis litteris, istam: IMPII, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest*: *&* REDVNDANT *fluctus eius in* CONCVLCATIONEM, *&* LVTVM. Isa. 57. 20. Ne tamen nimis securus, & beatus sibi plaudat hic Tribunus in suo Triumpho: audiat hæc verba ex lib. 48. Pand. tit 10. de Lege Cornel. de FALSIS: Pœna FALSI. vel quasi FALSI, DEPORTATIO est (puta, Ad Anthropophagos) & omnium bonorum (Mala sat publicata sunt, tuâ impudẽtiâ) PVBLICATIO: & si SERVVS eorum quid admiserit, VLTIMO SVPPLICIO AFFICI IVBETVR. Iam, si lubet, tibi plaude, memineris que, ad Paludes hactenus creuisse maximè salices: at in posterum futurum, vt crescant VLMI. Vale, & Vapula.

FINIS.

Index rerum notabilium.

C.

Hæreſim

Martin

FINIS.